

Frideuall. de med. sen.

S



HVGONIS FRIDÆVALLIS SAMPAVLINI,

De tuenda ſanitate, LIBRI VI.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
M. D. LXVIII.

ILLVSTRISSIMO VIRO NOBILITATE, PRVDENTIA, ET

virtute præstanti, Domino Ioanni à Sancto Audomaro, Domino de Morbecque, La bourre, &c. Vicecomiti & gubernatori Ariensis ciuitatis vigilantissimo, Hugo Fridænallis Doctor Medicus, S.



A semper fuit humanæ naturæ conditio, Vir illustrissime & sapientissime, vt frequentibus iniuriis exposita, variis hinc & inde periculis agitata, nusquam tuta manere possit. Foris enim timores, domi verò premunt angustiæ: quandoquidem quæ nos ambiunt, nunquam non insidiantur, & quæ intra nos clausa cõtinemus, sæpius vrgẽt. Quo tandem futurum erat, vt vix vnquã finem ac terminum sibi supernè constitutum valeret assequi, nisi miseram eius sortem respicientes superi, opem ab arte Pæonia petendam indicassent, cuius potissimum clypeo munita, telis instructa, densissimam hostium turbã maiore constantia, ac minore sui iactura sustineret. Et verò medicinæ encomion dicturus, optarem certè mihi solertiam ingenij maiorem, cum eloquentia plusquàm Tullia-na coniunctam. Perpendo siquidem negotium hoc tam arduũ, vt vix encomia-

Humanæ naturæ misera conditio.

ſtem inueniri poſſe exiſtimem,qui in eius laudibus,vt par eſſet,decantandis, nõ deficiat,& ſub onere non ilia ducat. Ex illius tamen laudum cumulo,pauca è multis,eaque veriſſima, inpræſentiarũ afferre ſtatui,ab eius origine initiũ ſumens. Medicina,quę ſuis diuinis remediis,haud dubiè mortalibus, inter tot,eaque grauiſſima, morborum vndique erumpentium genera verſantibus, magno vbique pręſidio fuit,Diis primum inuẽtores ſuos nec iniuria aſſignauit,& cælo dicauit,ipſaque ab oraculis deorum multifariam petita eſt. Medicinã quoque non aliunde,quàm à Deo eſſe, teſtatur Sapiens, Medicum ab Altiſſimo propter neceſſitatem creatum aſſerens. Teſtantur & litteræ omnes Medicinam eſſe inuentum deorum,mortalibus ſummè neceſſarium, vtiliſſimum gratiſſimumq́ue donum. Quo enim beneficio ſummus ille Medicus Chriſtus, atque ab eo miſſi diſcipuli, eius doctrinæ imitatores, dum in terris hominibus familiares verſarentur: Quo, inquam, beneficio plurimorum animos ad ſe allexerunt,traxeruntq; quàm medici officium exercendo,cęcis lumen reddentes,leproſos mundantes,languidos curãtes,ac mortuos ad vitam reuocantes. Quæ omnia tametſi plerunque ſolo nutu, aut verbo effeciſſe fatendum ſit,nõ rarò tamen medicamentorum vires commendaſſe creduntur. Atque cùm nihil vtilius,neque magis

Medicinæ dij auctores & inuentores.

Medicinæ vtilitas vel potius neceſſitas

magis in vita necessarium, quàm nosse, quæ cuique ad sanitatis conseruationem victus ratio conueniat, hæc probè & conuenienti ratiocinatione inuestigantes, iuxta hominis naturam, hæc primi indagatores inuenerunt, iudicaueruntque (nec mirum certè) artem dignam quæ Deo ascriberetur. Ita ex antiquis plures eam Apollini ipsi tribuerunt, quem repertorem opis, cuiusque inuentum Medicinā ipsam esse testantur Poëtæ. Non pauci Æsculapio eius filio, quem Hippocrates Medicorum deum appellat, in somnis sibi visum, quum ad Abderitanas portas Democritum ab insania curaturus peruenisset. Primò autem ipsa medendi scientia sapientiæ pars habebatur, vt & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio, sub iisdem auctoribus nata sit. Ideoque multos ex sapiētiæ professoribus peritos eius fuisse accepimus: Clarissimos verò ex iis Pythagoram, & Empedoclem, & Democritum. Huius autem, vt quidā crediderunt, discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis à studio sapientiæ, disciplinam hanc separauit, eamque prorsus ferè perditam in lucem reuocauit, vir & facundia & arte insignis. Nam cùm fuisset mos, liberatos morbis inscribere in templo eius dei, qui auxiliatus esset, quibus quisque vsus sanitati restitutus fuisset, quò pôstea similitudo proficeret, exscri-

Apollo.

Aesculapius medicorum deus.

Medendi ars sapientiæ pars habita.

Pythagoras. Empedocles. Democritus. Hippocrates Cous.

Antiquorum mos.

psisse ea traditur, & ita ex his hanc artem excerpsisse, qui primus medendi præcepta, longè post hominum memoriam clarissimè condidit, cùm priùs multæ nationes medicis non vterentur. Etenim Babylonij ægrotos in forum efferebant, vt viri, qui eos adirent, consulerent, hortarenturque ad ea, quæ ipsi faciendo effugissent similem morbum, aut alium nouissent effugisse: nec fas erat quempiam ægrotum silentio præterire. Idem factitabant Bastetani homines montani, qui id Hispaniæ latus incolunt, quod ad Aquilonem spectat, & Ægyptij. Eo tempore florebat summoq; in pretio erat ars medica, atque Medici diuinis honoribus digni existimabantur: vt Asclepiades, quē Illyrici instar numinis receptum, Herculi Iouis filio, in honoribus æquarunt. Extat etiamnum Senatusconsultum, quo Senatus populusque Atheniensis olim decreuerat, ac constituerat Hippocratem mysteriorum Cereris participem facere, quēadmodum Herculem, & aurea corona mille aureorum pondo coronari, (quod etiam Thessalo ipsius Hippocratis filio postea factum fuit) puerisque Coorum omnibus licere puerilem ætatem Athenis agere, & institui, quòd eorum patria talē virum produxisset; & ipsum quoque ciuitate donari, publiceque in curia nutriri, quòd spretis Artaxerxis Persarum regis opibus, ac honoribus, vniuersam suam Græ-

Babyloniorum consuetudo.
Bastetani.
Aegyptij.
Medicina quando summo in pretio.
Asclepiades.
Senatusconsultum Senatus populique Atheniensis.
Hippocrates mysteriorum Cereris particeps.
Thessalus Hippocratis filius

Græciam, tum per ſe, tum per diſcipulos ac filios ſuos, à peſtilēti morbo liberaſſet: quodque in arte medica libros quamplurimos conſcripſiſſet, ac ſine inuidia edidiſſet, multos in futurum medicos fore cupiens, qui languentes homines, à variis morbis ſeruarent, illi publicè ſimulachrū erexerunt. Nec verò mirum cuiquam eſſe debet, quòd tanto in honore Medici, arſque ipſa Medica fuerint. Si enim Medicinæ neceſſitatem quis inſpiciat; nihil eius ope non indigere, nihil citra eius beneficium viuere liquidò cognoſcet, ac ipſa veritate victus ingenuè fatebitur. Hæc enim nuſquam non eſt, teſte Celſo. Siquidem imperitiſſimę gentes herbas, ceteraque prompta in auxilium vulnerum morborumque nouerunt; eius beneficio indigent, eodemque plerumq; fruuntur, & animantia etiam ratione priuata. Capræ ſiquidem in Creta telum vulneri relictum dictamno guſtato excutere creduntur. Serpentes cæcutientes fœniculi confrictu viſum recipiunt. Piſces vulnerati tincæ piſcis contactu ſanantur. Dies profectò me deficeret, chartaque, ſi reliqua perſequi vellem. Si verò neceſſitati comitem eius vtilitatem animo reuolluas, neſcio an vllam diſciplinā illi æquare, nedum præferre audeas. Vt enim ſanis corporibus alimenta miniſtrat agricultura, ſic & ęgris ſanitatem pollicetur Medicina, eamque in ſanis retinet ac cōſeruat.

Medicinæ neceſſitas.

Animantia ratione carentia Medicina etiam plerumque vtuntur.

Artis Medicæ vtilitas.

Sanitate nihil vtilius.

seruat. Sed quid homini vtilius ſanitate dari poteſt? Quid optandum magis? Népe ſine qua nihil homini vtile, nihil gratum, nihil ſuaue eſſe conſpicitur. Quid enim diuitiæ homini ſunt vſui citra ſanitatem? quid fundi quantumuis lati? quid ſaltus, lacus, equi generoſi, vxor etiam formoſiſſima, liberi quantumuis ingenui? Cùm ergo prioris ſeculi bonæ mentis homines Medicinam à Diis ortam intelligerent, ab eiſdem commendatam, ab heroibus excultam, tractatamque audirent, mortalibus tam neceſſariam, atque vtiliſſimam experimento noſcerent; eam diuinis honoribus dignam cenſuerunt. Eius quoque auctores, cultores & miniſtros in Diuorum catalogum retulerunt. Id verò noſtri temporis quibuſdam rectè factum non probatur, quòd vnicum tantum Deum Chriſtiani colimus: affectus tamen & iudicium antiquitatis ipſius laudatur; quippe quæ recta mente ſenſerit, docto fidoque Medico nullum ſatis dignum præmium perſolui, nec aliud quidquam Medicinæ meritis par eſſe poſſe.

Medicina quare diuinis honoribus ſit digna exiſtimata.

Huius autem ἀποθέωσις cauſam antiquitati præbuit illorum integritas vitæ, morum probitas, virtutum ſplendor, diuinæ munificentiæ ſigna, & auxiliorum multitudo, quibus ipſi tanquam dij mortalium genus fuſiſſimè iuuabant. & denique mirabilis ſapientiæ, doctrinæque ac ſcientiæ præſtantia, quæ proximè ad diuinitatem homi-

homines accedere facit, illos (quàm si numen) piis omnibus venerandos ad hæc vsque tempora reddidit. Nunc auté medicina artium omniũ vilissima censetur, propter ignorantiá eorum qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quòd imperitos pro Medicis iudicat & habet. Malignæ enim & horrendæ pestes, proh dolor, eæque numero infinitæ (quæ etsi bonis omnibus stomachum faciunt, tolerantur tamen hoc tempore, magno certè Reipublicæ malo, atque totius ordinis salutiferi iniuria) ipsius tam prętantis artis splendorem obscurare, ac nitorem infuscare conspiciuntur. Et, quæso, quis nugatorum hoc genus non detestetur, & oderit? Hoc tempore imperitissimus quisque barbitonsor aut chirurgus, aut pharmacopola: breuiter audacissimus quisq; nebulo, ad Medicinam faciendam accedit: & nullis Medico dignis ornamentis instructus, non arte oratoria, non mathematicis disciplinis, non philosophia, quibus instructum esse Medicum oportet, quæque artem ipsam longam efficiunt, immò nec Latinè quidem loqui valens, sed tantum temeritate atque impunitate confisus, medicinam exercere non dubitat. Et hoc quidem vitium, ob hanc maximè causam committitur, quòd soli Medicinæ nulla pœna in rebus publicis statuta sit, prætcrquàm ignominiæ. Verùm hæc ipsa non afficit, nec cõtingit eos, qui

Cur nunc ars medica vilipendatur.

In impostores & Medici nomine titulóq; abutentes.

Medicinæ nulla statuta pœna.

ex composito personam ipsius induunt. Vnde minùs mirandum erit, si hominum laniene, atque carnificinæ nunc passim exerceantur. Quod si pro opitulatoribus nefarij tortores; si pro physicis, naturæ hostes infestissimi; si pro curatoribus, vespillones; si denique pro Medicis facinorosi carnifices, se ingerũt, qui methodum omnem curandi ignorant, qui ratione carent, qui communi iudicio, quid est opus dicere, qui experimenta per mortes agũt: quæ tandem in vita spes erit salutis? At mirandum certè est simulque dolẽdum, pecoribus istis esse fautores quosdam nõ obscuros, qui de artis Medicæ scientia, eiusdemque peritis iudicium ferre volunt; quorum nituntur studio, quorum gratia nihil non audent, quorum pollent auctoritate: immò verò, quod amplius est, qui eos extollunt, laudant, commendant, & quantum in ipsis est, promouent. Et ab his quidem huiusmodi meræ bestiæ doctoris appellatione & titulo vbique nominari se impudentissimè sinunt. Quibus istis quid facias, qui pro prudentia imprudentiam profitentur? Nunc enim splendida horum gesta recẽsere nihil opus est. Sed illa vulgo tamen circumferunt, sed plausum inde petunt, sed triumphos sibi decerni publicè æquum censent. Sic fucum ordinibus omnibus faciunt: qui fustibus, ęquè vt asinus ille pelle detracta, perdigni mihi videntur; duntaxat vt re-

sipis-

ſipiſcant, & quales ſint, tandem ipſi meminerint. Sed circulatores hos & impoſtores Medici titulum iniuſtè ementientes miſſos faciamus, eosq́; cum obſtetricibus, cum ęgrorum adminiſtris mulierculis, mimis, balatronibus, ceteriſque id genus hominibus in ordinem cogamus. Et verò cùm nihil ſit in omnium rerum natura, quod ſit vitæ dono melius, nihil quod charius, quod iucundius, nec optabilius: (more ob id receptum eſt, vt præmium ac pietatem, tanquam λύτρον ei debeamus, qui hoſtem à capite noſtro depulerit, quod obſtiterit ac effecerit, quo minus vita deſtitueremur) quid Medicinæ non debemus, quæ pro nobis ſeruádis, cum tot capitalibus vitæ hoſtibus, ſic quotidie pugnat, vt nos frequenter à morte liberet? Parentibus nihil non debemus, quòd per hos vitæ donum accepiſſe quodammodo videmur. Verùm illi quidem ſemel duntaxat per generationem nobis vitam dederunt: at medicina quoties nos à mortis periculo ſeruat, toties nobis vitam reſtituere videtur. Quod ſi vitam elargiri proprium Dei munus eſt, certè datam tueri, iamque fugientem retinere, Deo proximum fateamur neceſſe eſt. Quamobrem iubent etiam diuinæ litteræ, Medicis honorem ſuum haberi, non ob vtilitatem modò, ſed & propter neceſſitatem; vt in ceteros quidem bene meritos artifices, ingratitudo ſit; in Medicos

Vitæ dono nil melius.

Quantũ Medicinæ debeamus.

Medicus honorandus ex ſacris litteris.

dicos autem nisi referatur aut agnoscatur gratia, impietas. O diuinam scientiam, ô sanctam philosophiam, ô seruatricē Medicinam, ô gratiam cęlitus hominibus infusam! quam qui fuerint adepti, proximè ad deorum munificentiam accedant. Nil mirum, si Hippocrates artium omnium præclarissimam & præstantissimam esse pronunciauerit: quod etiam fusissimè plerisque in locis confirmauit, idque validissimis rationibus & argumentis. Quæ causa fuit cur huic arti incubuerimus, inque ea ornanda atq; lucubranda nostrā quantulamcunq; operā & laborem hactenus insumpserimus, nec insumere, quandiu mens sana in corpore sano manebit, desinemus. Tibi verò (nobilissime, idemque liberalissime studiosorum omnium atque studiorum Mæcenas & fautor) hanc ingenij nostri fœturam consecratam & dicatam esse volui: primùm, vt testimonium aliquod proferrem amoris mei erga te summi, & grati animi erga eximiam tuam in me voluntatem, quæ mihi multis argumentis perspecta est, aliquam significationem darem. tantam enim hactenus sensi tuam in me beneuolentiam, vt nullo officio compensari posse existimem. Dein, vt hac etiam mea nuncupatione posteritati testatum facerē, te quoque vnum ex eorum numero fuisse, qui in his turbulentis & calamitosis temporibus religionem, ac pietatis, verę que doctrinæ,

Medicina præstantia.

Operis huius dedicatio & dedicationis ratio.

ctrinæ,& aliarum optimarum artium ſtudia ſibi curæ eſſe paſſi ſunt. In te enim omnes,qui te norunt,mirātur,quòd ad generis nobilitatem & nominis ſplēdorem, bonarum artium cognitionem & litterarum ſtudia, à quibus nobilium bona pars abhorret, adiunxeris. Nimirum ſciebas quantum hęc adiumenti afferrent iis qui ad conſilia Principum,&Rerumpublicarum adminiſtrationem accedunt. Eoque magis ab inuidia detractorum, & zoilorū maledicentia,atque venenata lingua tutum fore libellum hunc noſtrum iudicaui, ſi dominationi tuæ dicaretur, & ſub tutela tua in lucem prodiret. Singulos autem quoſque ſcriptores præclariſſimarū artium ab obtrectatoribus ad vnum vſq; laceratos eſſe cernimus,& Homerum imprimis, qui Poetarum parens fuit,& omnium diſciplinarum dux, æmulos complures habuit & obtrectatores. Et Zoilū præcipuè Macedonem, qui vt ingenium ſuum diuino Poetę præferret,auſus eſt in Iliadem Odyſſeamque ſcribere: cognomenque inde verberatoris Homerici affectauit. Obiicient hoc loco multa detractores,& qui ad maledicendum duntaxat nati videntur,ſcripta auctorum omnium reprehendentes & carpentes; cùm tamē in his nihil immutare poſſint,quibus hoc vno verbo ſatisfactum velim: Conſuetudo omnium penè ſcriptorum eſt, vt aliena ſuis immiſceant, tum vt certiora ſcribant,

Detractoribus & maledicētibus auctor ſatisfacit & reſpondet.

Zoilus Macedo Homero maſtix.

bant, tum vt gratiùs iucundiùsq; legantur. Atqui vt Flauius Albinus ait, fructus legendi seu lectionis, est æmulari quæ in aliis probes: & quæ maximè inter aliorum dicta mireris, in aliquem vsum tuũ opportuna deriuatione cõuertere. Quod si qui in hoc opere plura ex Galeno desum psisse me afferát; dicam cum Aphranio togatorum poeta, qui cùm responderet his qui eum insimulabant, quòd plura sumpsisset à Menandro, sic ait: Fateor, accepi non modò ab illo, sed vt quisque habuit quod cõueniret mihi. Sic certè non ex Galeno solùm ea quæ nostrum hoc opusculum habet, desumpsi; sed etiam ex Auicenna, Hippocrate, Aetio, Ægineta, Plutarcho, aliisq; permultis tum Græcis tum Latinis auctoribus, id in hũc locum transtuli, quod meo proposito & instituto accõmodatius visum est, & quodcũq; me nõ posse facere meliùs credidi: apes imitatus, quę diutius vagantur, vt flores carpant: deinde quidquid attulerint, disponunt, fauisq; suis inferunt, succumque va rium proprij oris spiritu in dulcissimũ illũ nulli similem mellis saporem cõuertunt. Neq; verò nouum hoc neq; inusitatum videri debet, cum cernamus auctores omnes tum Græcos, tum Latinos manifestè aliena in rem suam cõuertere. Ab Homero enim non modò poëtæ omnes decurrũt, vt flumina omnia ab Oceano defluunt: verumetiã scriptores aliarũ rerum: nam

Flauius Albinus.

Aphranius poëta.

Ab Homero poëtæ omnes decurrunt.

nã & Strabo Cretenſis totus Homericus eſt. Et Cicero imprimis, qui à Platone & Demoſthene magna ex parte decurrit;& virtutes omnium Græcorum, quos probauit,in Latinum eloquium tráſtulit.Sic & Quintilianus à Cicerone manauit : & omnes qui poſt eum Latinè & eleganter dicere conati ſunt. Virgilium etiam non puduit milia verſuum ab Homero tranſferre,&affectus omnes imitari: ſic etiam idem Virgilius ab Heſiodo, Apollonio, Theocritoque plurima accepit. Sumpſit quoque plurima à Latinis;& cùm nónullos minus probaret,rogareturque cur eos legeret & excerperet,reſpondit ſe margaritas ex cœno legere. Sed ad ſcriptores Medicinæ ſi veniamus, nónne vt ab Homero Poetæ omnes (quemadmodum ſuprà diximus) ita Medici omnes à Galeno decurrunt? Quid aliud quęſo Auicennę, Aetij, Æginetæ,Oribaſij opera cõtinent, (reliquos omnes recentiores percéſere & cõmemorare longum eſſet) quàm ipſiſſima Galeni verba? Eorum tamen ſcripta probantur & leguntur ab omnibus. Deſinát ergo inuidi nobis maledicere,ne tandé maledicendo maledicta agnoſcát ſua, ſuam ignauiam, liuorem, atque in viros bonos rabiem prodentes. Quibus ſi hæc minus placent, parum certè mihi curæ eſt, modò tibi (ornatiſſime vir, mihique multum ſemper obſeruáde domine) grata ſint,& à te (quod ſpero vniceq; opto) proben-

Strabo Cretenſis. *Cicero.* *Quintilianus* *Virgilius.* *A Galeno Medici omnes defluunt.* *Auicenna.* *Aëtius.* *Aegineta.* *Oribaſius.*

probentur. Interim Deus optimus maximus te optimarum artium patronum, veræque & Christianæ religionis ac fidei propugnatorem acerrimum, mihi totiq; huic ciuitati, imprimis verò Ecclesię suæ, quę iã ferè naufragium patitur, nisi idem Dominus immensa sua misericordia breui huic prospiciat, diu incolumem & superstitem seruet. Bene vale. Ariæ ex bibliotheca tua Kalend. Nouembr. Anno 1567.



IN HVGONIS FRIDÆVALLIS SAMPAVLINI DOctoris Medici opus De sanitate tuenda, Reginaldi Falcompræi Atrebatis, Atrebatensis Medici, Carmen.

Qui cupis incolumem lætus producere vitam,
Temporaq; affectas candidiora niue;
Qui sobolem pulchram, turbamq; videre nepotum
Expetis, hunc lector volue, reuolue librum.
Nil hic præteritum, tibi quod propellere morbos
Poßit; & in longam membra souere diem.
Sunt bene opinati veteres, consistere vitam
Non in ducenda, quæ foris aura venit:
Sed si quis valeat bene sanus, & integer æui,
Viuere se demum suauiter ille sciat.

IOANNIS SILVII DOCTORIS MEDICI, IN HVGOnis Fridęuallis doctoris Medicinę pręclari, De tuenda valetudine librum, hendecasyllabon.

Inter pręcipuas in orbe dotes,
Quę mortalibus euenire possunt,
Diis mittentibus è polo beato;
Rectè censuit obtinere parteis
Diuinus Plato principes Hygeiam.
Nam quidquid dederit Pelasga Iuno
Regnorum, vel opum, nigérve Plutus;
Quidquid suppeditet Venus venusti,
Aut blandę Charites, vel ipse diuûm
Summus Iuppiter, absque sanitate
Alga vilius est, fimoq́ putri.
I felix igitur liber, virûmq́
Doctorum volita per ora liber.
Imprimis pete Morbecana tecta,
Vt serues domui, Ariensibusq́
Insignem pietate, comitate,
Et virtute virum diu: salubri
Delectu aëris, & quiete dulci,
Et motu medico, deiq́ blandi,
Et flauę Cereris benignitate,
Lautorumq́ animalium sapore,
Plantis, stirpibus, arborumq́ fœtu,
Aptis denique balneis, iuuando.
Nam cùm Pallada, doctus ipse, doctam,
Armatamq́ colat, peritus armis
Sęuum hostem radiantibus domare:
Quis non incolumem putet mereri
Supra Nestoreos manere soles?

IN HVGONIS FRIDÆVALLIS DOCTORIS MEDICI, De ſanitate tuenda opus, Antonius Meyerus, Atrebatenſis gymnaſij Archididaſcalus.

Clareſcit Medicus, ſi conſeruauerit vnum,
Qui pater vnius præſidiumq́; domus.
Quid ſi magnanimum Regem, quo nititur omnis
Publica res, certa morte perire vetet?
Publicus ille pater, ſeruato Rege, putandus.
Primi hominum ſunt me iudice Pontifices.
Hi quoque ſi parent medico, ſuaq́; omnia debent,
Mortalis fuerit iam Deus ille mihi.
Si verò ediderit vitæ præcepta tuendæ,
Immortalis erit iam deus ille mihi.
Permanet ars mandata libris. vim littera tantam,
Ingenij vires ſi comitentur, habet.
Hæc non agnoſcens medicus, cui frigida nomen
Impoſuit Vallis, dicta ſuperba putat.
Sed ferat inuitus laudem. non montibus hæret,
Labitur, & valles recreat imber aquis.

HVGONIS FRIDÆVALLIS SAMPAVLINI, DE SANITATE TVENDA, LIBER I.

PRÆFATIO.

Corpus humanum artis Medicæ proprium est subiectum



ORPVS humanum artis Medicæ proprium subiectum est. Licet enim diuersis artibus, alia atque alia ratione subijci videatur, nec vna ars de eo tractet: (quatenus enim naturale est physiologiæ seu naturalis scientiæ, vt verò εὐεκτικὸν, id est, bono habitu præditum, gymnastices seu exercitatoriæ subiectum est) propriè tamen loquendo, vna solaq́; medicina circa humanum corpus versatur. Huius artis vnus quidē est genere finis, nimirum sanitas; specie tamen duplex est. Medicus enim præsentem in sanis & bene se habentibus corporibus sanitatem, absentem verò in ægris reuocare arte sua potest. Ex eo duplici fine, artis Medicæ duo summa genera constituit Galenus, in eo libello cui titulum fecit, Num ars tuendæ sanitatis ad artem Medicam spectet, an verò ad gymnasticen, his verbis: Quamobrem neque abs re nūc quispiam interrogatus, cuiusnā artis pars sit illa facultas, quæ tuendæ sanitatis notitiā tradit, Medicinæ respō dere poterit: latius namque fuso & amplificato vocabulo, neque adhuc partem, sed integram humani corporis artē significante, Hippocrates & omnes qui hac tempestate florent, iure Medici nomen inuenerunt, artisq́; ipsius duas maxi-

Artis Medicæ finis duplex.

Medicinę duo summa genera ex duplici fine.

maximas partes cognouerunt, curatricem scilicet atque salubrem. Recentiores autem Medicinam in quinque membra seu partes diduxerunt, φυσιολογίαν scilicet, ὑγιεινὴν, αἰτιολογίαν, quæ eadem etiam παθολογία nuncupatur, σημείωσιν & θεραπείαν. Quod postremum mẽbrum rursus triplex est. Alia namque eius pars cibaria dicitur, seu diætetice: altera medicamentaria: tertia verò manuaria seu chirurgia. Morbos enim alios sola diæta curat & ratio victus: alij verò præter victus rationem medicamentorum opem requirunt: alij denique manuum auxilium postulant. Existimandum autem minimè est eandem esse ὑγιεινὴν, & diæteticen: illa enim sanis, hæc verò ægris salubrem victus rationem præscribit. Ergo ὑγιεινὴ ea artis Medicæ pars est, cui tuendæ sanitatis cura incumbit, seu quæ bonæ valetudinis conseruandæ præcepta tradit, quam hoc opere tractare instituimus. Sed prius quid sit sanitas, exponendum est. Sanitatis enim definitio ad totam artem cognitu necessaria prorsus est: Alcmæon sanitatem scribit esse modicè accommodatum qualitatum temperamentum. Diocles morbos ferè fieri propter inæqualitatem elementorum corporalium, habitusq́; aeris tradidit. Strato morbos propter alimenti exuberantiam cruditatemq́; & corruptionẽ fieri scriptum reliquit: Contrà prosperam valetudinem, rectam corporis constitutionem, alimentiq́; quod satis est esse. Galenus quoque sanitatem definit affectum seu cõstitutionem secundum naturam, ad actiones faciendas idoneum, seu actionis causam. Vt verò quid sanitas sit clarius constet, res paulò altiùs repetenda est, inde sumpto principio: Subiectum sanitatis corpus est. Corporis autem compositio triplex est, vt docet Galenus in libello cui titulus est, Quòd optimus Medicus idem sit & Philosophus: cuius

Medicæ artis partes quinq;

Hygiine & diætetice duę diuersæ artis medicæ partes.

ὑγιεινὴ quid.

Sanitatis definitio ad artẽ necessaria.


Alcmæon.

Diocles.

Strato.

Galenus vt sanitatem definierit.

Corporis cõstitutio triplex.



hæc verba sunt: Atque hac eadem ratione & methodo ipsam corporis naturam & structuram docemur, & quæ ex primis est elementis, quæ tota inter se temperata sunt: & quæ ex secundis composita est, quæ & sensibilia sunt, &, vt eo nomine vtar, similaria appellantur: & quæ tandem ex partibus organicis expletur. Quum autem hæc secundum naturam se habent, is certè habitus Sanitas vocatur. Secundùm naturam se habere quid. *Secundùm naturam autem sese habere ea ipsa dicentur, quum natiuam earum temperaturam, positionem, formationem, & habitudinem seu connexionem, quam ab initio habuerunt, aut illi similem seruant, tumqúe ad actiones proprias obeundas maximè idoneæ & sunt & habentur. Adhæc secundum naturam intelligendum etiam est, secundum naturalem constitutionem, non eam quæ prorsus inculpata sit, & noxa vacet, sed eam vnicuique naturæ ætati & parti propriam. Ergo si sanitatem dixerimus esse omnium corporis partium rectam & debitam constitutionem, sanitatis rationem abundè exposuerimus. Nam eam sanitatis definitionem sufficientem esse, Galenus docuit libro quinto de decretis Hippocratis & Platonis. Quod verò alius multis in locis adiecit, actionum causam esse, nonnullis equidem minus placuit. In eo verò Galenum non errasse, vt illi recentiores existimarunt, fiet manifestum, si sanitatis causas expenderimus.* Sanitatis causæ Primæ & mediatæ. *Causæ igitur sanitatis aliæ sunt primæ & mediatæ, quales sunt sanitatem (vt ita dicam) causantes, ab ipsa prima generatione & ortu simpliciter, aut vt nunc: inde sanitas alia dicitur simpliciter, alia verò vt nunc, & vtraque quidem ab ipso primo ortu: aliæ verò sunt secundariæ &* Secundariæ & immediatæ *immediatæ: cuius generis sunt complexio seu temperies,*

ries, compoſitio & natura communis ex his vtriſque. Eſt verò complexio & compoſitio ſimilarium, antecedens cauſa ſanitatis. Organorum verò ſtructura & temperies, eſt eiuſdem cauſa coniuncta. ſed proportio commenſurata horum, ſanitas eſt totius corporis. Verùm quum naturalis conſtitutio, tum ex aliis, tum verò maximè ex actionibus cognoſcatur, tanquam ex ſuis effectibus, (quod fatetur Argenterius vnus inter ceteros, non in eo modò, verùm in permultis alijs à Galeno diſſentiens, & ferè præcipuus γαληνομάσιξ) ſingulæ autem partes corporis has vel illas actiones perficiant ex innata illis propria & peculiari temperie, (quæ vel anima eſt, vt nonnulli aſſeuerarunt, vel certè eius facultas) atque conformatione ſeu compoſitione, hæc verò ſanitatis cauſæ exiſtant: conſequens etiam eſt, vt ſanitas actionum cauſa dicatur. Atque hæc quidem de ratione ſanitatis hoc loco ſufficient; latiùs aliàs eadem de re, ſiquando occaſio dabitur, dicturi. Ceterùm, ars tuendæ bonæ valetudinis continetur his quibus velimus nolimus corpus noſtrum vtitur, & his quidem maximè quæ corpus alterare, adeóque iuuare aut officere poſſunt. Huiuſmodi autem ſunt, aër, cibus, potus, motus ſeu exercitatio, quies, & ſimilia, quæ, quia corpus noſtrum immutandi vim habent, ſuiſque facultatibus & viribus neceſſariò vtilitatem vel damnum corporibus noſtris inferunt, à recentioribus Medicis, Res non naturales appellantur. Quidam cauſas alterantes etiam nuncupant. Porrò quia ex elementis animalia primùm generantur, deinde verò & ex iiſdem aluntur, atque incrementum ſuſcipiunt, vt ſcripſit primus Hippocrates, aſſeruit &

Argenterius γαληνομάσιξ.

Ars tuendæ ſanitatis quibus continetur.

Animalia ex elementis generantur & aluntur.

confirmauit Galenus. Ideò primùm videndum est, quam vim in alterandis corporibus elementa habeant, & quale ex illis singulis alimentum corpori accedat. Est autem ab eo auspicandum, quod commissiuum existit: id verò est aer, qui, teste Hippocrate, in omnibus quæ corpori accidunt, maximus & præcipuus est & auctor & dominus.

Aëris vis. lib. de flatib.

LIBRI PRIMI SECTIO PRIMA DE ELEMENTIS.

De aere, cap. I.

Corpora iam in motus properant, purißimus aër
Quæritur, hic venti nec malus erret odor.
Lucidus exortum ad Solem gratißimus: absint
Stagna, putresq; lacus, & malè quidquid olet.
Si Ioue vel tardo gelidus sit forsitan orbe,
Gratior est, nostra hinc membra calorq; valēt:
Si Venere aut Marte incaleat, lacera inde peribūt
Aßiduè humanis pabula corporibus.
Vndique diripimur, si spirant corda, subintrat,
Hoc sine nil miseri corporis ora vorant.
Quas dabimus grates Aer tibi peßime? per te
Viuimus & morimur, gratia nulla tua est.

Aeris in conseruatione sanitatis ratio: qualis eligendus aer: aer optimus qui. Cap. I.

IN sanitatis regimine prima esse debet aeris ratio. Corpora enim in aere ambiente, duplici ratione necessariò versantur. & quoniam corpori vndique circumfusus est, & quoniam per anhelitum ducitur. Tantaque omnibus corporibus aeris est necessitas, vt siquidem omnibus aliis abstineat homo, neque cibum sumat neque potum; possit tamen ad aliquot dies superesse: at si cui spiritus viæ in corpus intercipiantur, in breui parte vnius diei intereat. Adhæc ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt & cessant homines: ab hoc autem nulla quies, ne vlli quidē animantium generi contingit; verùm perpetuò spiritum trahunt, ac rursus exhalant. Aer igitur exquisitè purus quocunque tempore eligendus est. Purus autem & optimus, Galc-

Aeris necessitas & vsus.

Aer purus perpetuò eligendus. lib. 1. sanit. tuend.

Galeno teste, is est, qui stagnorum palustriumque locorum halitu & vaporibus non est infectus, vel à cauerna quapiam grauem & perniciosam auram expirante. Vitiosus est, qui à cloacis magnam aliquam ciuitatem, aut numerosum exercitum expurgantibus inficitur: quique nebulosus est, & qui in conualli vndique montibus circumcepta occluditur, & veluti præfocatur. Talis etiam aer omnino crassior est & frigidior; vt contrà is, quem sol quotidie perlustrat, calidior est & tenuior. ideoque à sole illustratus aer, corpora facilè perspirantia reddit: contrarium autem facit, vmbrosus. Ex eo fit, vt noctes sint defluxionibus, & inflammatione vexatis molestissimæ. ex eo etiam sequitur vrbium & ciuitatum aerem minus salubrem esse. Is enim à domibus coarctatus, non secus quàm in cauis locis calidior est & crassior, sol enim perspiratu & difflatione carentem aerem continuò calefacit, & magis accedit: motus autem priuatio ipsum crassum reddit. nec id solùm, sed etiam quod multo tempore in vmbra fit, atque quod omnis generis exhalationes ex vrbe in aerem ipsum ascendant: idque magis in vrbibus populosis, iisque quæ perspiratione omnino carent. Sed & à domorum multitudine & tectis superimpositis conclusus corpora replet, ex eo quòd in iis difficiliùs soni digerantur. At apertus aer, latè patens, & sub dio, qualis est Regionum, tenuius & purius, atque leue probè perspirans, & remissè id quod superfluit excernens corpus reddit. Quo fit, vt earum incolæ cibi appetentiores sint, meliùs concoquant, & meliùs alantur, meatus magis fluxiles habeant: sed & sensibus sint integriores. Ergo optimum fuerit domũ perspiratione carentem fugere, aut tenebrosam, aut ventis quibusdam insalubribus obnoxiam, aut denique quouis alio modo corpori perniciosam. Si quis tamen ob consuetudinẽ, aut aliam aliquã rationẽ loco aliquo delectetur, licet idque multis modis iamdiu excogitatis (vt sunt hominum ingenia nunc, si vsquam, acuta & prompta) scilicet trãslatis fenestris domus, & ostiis, alibi apertis, alibi rursus occlusis, illustriorem, magisque perflabilem & salubriorem omninò reddere. Ac nõnulli quidem ciuitatibus, huiusmodi rerum trãsmutatione non parum profuêre. Refert Plutarchus patriam suam spectantem ad Zephyrum, ac solem tendentem ad occasum, à Parnaso accipientem, ad Orientem versam à Chærone fuisse. Empedocles quoque physicus, montis cuiusdam profundum

Aer purus qui.
Aer vitiosus qui.
Sol quem vsum & vtilitatem aeri adferat.
Patria Plutarchi à Chærone ad Orientem versa.
Empedocles.

fundum inter rupes hiatum, grauem & morbosum, eò quòd Notum ventum efflaret, in vicinos campos obstruxit, atque ita à pestilentia regionem vindicasse existimatus est. Ergo quantum fieri potest, aer corruptus & vitiosus, vt qui omni ætati planè sit noxius, fugiendus est. calorem enim & innatum spiritum corrumpit. at qui purus est, nulli non ætati vtilis & salutaris existit. Et certè aeris amœnitas, cælique salubritas, homines ad multam vsque ætatem sanos & incolumes alit. Proinde minus admirandum est, Scipionem Africanum solitum fuisse dicere, se repuerascere, cùm ad Caietam vnà cum Lælio amico suo conchas legeret & vmbilicos. Particularius autem de aeris salubritate & insalubritate disserit Aëtius cap. 171. lib. 3. his verbis: Aer qui amœnos ambit colles & loca sublimia flatu carentia, salubritate sua orthopnoicis, tabidis, omnibusque capitis & pectoris ægritudinibus confert. Qui verò in plana regione purus est, conuenit his, qui syncope frequentiùs corripiuntur, & senibus. Maximus ad hydropicos, distillatione maximè frigida affectos, & prostratam appetentiam valet. Qui lapidosas regiones ambit, hieme ob frigus torquet, æstate calore suo suffocat: prauus etiam est, qui è metallis efflat. Aer è terra rubea bonus, atque etiam è nigra: prauus ex argillosa. Qui enim sub eo cælo degunt, stomacho exoluuntur, multisque aliis morborum generibus ex vaporibus igneis, qui è terra exhalant, plus æquo arefacientibus obnoxij sunt.

Aer vitiosus planè fugiendus est.

Scipio Africanus.

De aeris operationibus & effectibus, vtrùm aer nutriat, & an spiritus aere nutriantur, Cap. 11.

VT ignis ad sui conseruationem aeris refrigeratione indiget, alioqui statim humorem suum depasceret, & ipse mox interiret: adeoque moderatè frigido aere ambiente flamma omnis opus habet, quo non solùm in suo (vt ita dicam) esse conseruatur, sed etiam alitur. Etenim, vt scribit Hippocrates in libro de flatibus, igni spiritus nutrimentum præbet: quo si priuetur, ignis viuere non possit. Ita sanè calor natiuus diu durare nequit, nisi refrigeretur. Caloris autem cordis refrigeratio, respiratione fit, quæ duplex est. Duplici enim refrigeratione opus habuit natiuus noster calor, quòd à duplici causa ignescere, seu in igneum calorem conuerti facilè possit. Ex se enim & natura sua cùm summus sit, humidum

Ignis refrigeratione indiget.

Caloris cordis refrigeratio duplex.

humidum suum natiuum depascendo facilè accenditur: accenditur quoque & ignescit facilè ex retentis fuliginosis superfluitatibus. huic expiratio, illi verò inspiratio medetur.

Inspiratio. Expiratio.

Inspiratione enim aer nouus attrahitur, qui sua refrigeratione calorem ventilat & temperat: expiratione autem fuliginosa excrementa expelluntur: quæ si non probè expurgentur, calorem ipsum corrumpunt, & accendunt. Nonnulli tertiam aeris operationem etiam adiecere, animalis nimirum spiritus nutritionem. Inde tot ortæ sunt quæstiones & controuersiæ, passim in scholis agitari solitæ: An aer nutriat, vtrum spiritus ex aëre generentur, & nutriantur. In eo certè auctores Medici inter se non conueniunt: immò verò nec sibi constant. Has autem quæstiones hoc loco tractari debere visum est planè necessarium. Ergo aerem nutrire ex Hippocrate primùm constat. is enim libro De flatibus sic scribit: Corpora omnia tum hominum, tum reliquorum quoque animantium, à triplici nutrimento sustentantur. horum autem nutrimentorum nomina sunt hæc, cibus, potus, spiritus. Galenus quoque idem planè asserit lib. 1. De sanitate tuenda: agens enim de triplicis substantiæ corporis humani fluore, quem innatus calor excitat, sic scribit: Cibo igitur quidquid siccioris substantiæ effluxit, restituimus: potione quidquid humidioris: ita & aereæ igneæque substantiæ modum respiratione & arteriarum pulsu tuemur. Idem Galenus libro 7. de vsu partium, de pulmonis carne agens, eiusque naturam & vsum exponens, expressis verbis docet, aerem esse nutrimentum spiritus animalis, & à pulmone in eum vsum concoqui: sic enim ait, Quemadmodum hepatis caro ad cibi, sic ad aeris coctionē pulmonis caro fuit comparata: ob idque mollis, foraminulenta, & spirituosa existit. Non enim confertim nec repentè aer quem inspiramus, nutrimentum spiritus animalis euadit: sed paulatim eum immutari est necesse, diuturnioréque tempore spiritui innato familiarem qualitatem acquirere. & paulò pòst, Ceterùm spiritus qui ab aspera arteria extrinsecus trahitur, in pulmonis quidem carne primùm cōficitur: tum autem in corde & arteriis, & iis maximè quæ in plexu sunt retiformi; vltimum & perfectissimè in cerebri ventriculis, vbi vtique & animalis exactè primùm efficitur. Rursus idem Galenus libro de vsu respirationis hæc scribit: Qui sanè spiritus, quū necessariò nutriri debeat (de spiritu autem

Aerèm nutrire probatur.

Cap. 8.

Spiritum animalem aere nutriri.

autem animali eo loco tractat, quem vel animæ substantiã, aut saltem primum ipsius instrumentum esse ait) certè rationi consonum est, partim ab aere per inspirationem attracto, partim à sanguinis euaporatione illi nutritionem accedere. & paulò pòst, Quare necessum est ex inspiratione per nares potissimam alimenti partem animali spiritui accedere. Id quod sensit Hippocrates dicens, Principium alimenti spiritus, os, nares, guttur, pulmo, & cetera respiratio. & rursus, Secunda respirationis vtilitas, est nutritio animalis spiritus. Idem confirmat libro septimo De decretis Hippocratis & Platonis, cùm ait: Sicut verò vitalis spiritus & in arteriis & in corde gignitur, materia generationis ex inspiratione, & humorum exhalatione sumpta; ita animalis ex vitali perfectiùs concocto oritur. Auicenna quoque eiusdem cum Galeno est sententiæ, lib. 3. Can. tractans anatomiam pulmonis & cannæ eiusdem. Hoc verò ipsum etiam confirmat idem Galenus in methodo medendi, & lib. de causis respirat. vbi hæc scribit: Principium itaque est aer, qui per os & nares trahitur, materia existens vtilitatis respirandi, bifariam partitus, & altera quidem minore sui parte per nares ad cerebrum defertur: altera verò maiore per asperam arteriam in pulmonem deuehitur. Prætereà odorabilium substantia est aerea & vaporosa. at odorata seu odores ipsi citissimè nutriunt, vt scribit Hippocrates in libro de Alimento, his verbis: Qui cita indigent adiectione, iis humidum ad recuperandas vires remedium optimum est: vbi autem adhuc citiùs per odoratum: id verò in syncope & animi deliquio fit manifestum. Democritus quoque cum solo odore mellis, vel, vt alij volunt, panis, ad dies aliquot vixisse traditur. Ita enim Laërtius in eius vita scribit: Moritur autem Democritus iuxta Hermippum in hunc modum: Cùm iam ex senio deficeret, & propinquus videretur morti, mœrentem sororem, quòd ille in celebritate Cereris moriturus ipsa deæ vota exoluere nequiret, bono animo esse iussit, panesque calidos sibi quotidie afferre: eos igitur naribus cùm admouisset, viuum se dum ea celebritas transiret, seruauit. Vbi verò dies illi transierunt, tres autem erant, quietissimè ac minimo dolore conclusit vitam, vt Hipparchus ait, ætatis anno centesimonono. hæc Laërtius. Ex his igitur constat & aerem nutrire, & spiritum, maximè verò animalem aere nutriri & ali. Verùm in contrariam partem hæc adduci

lib. 3. Can. fen. 10. tract. 1. cap. 1. cap. 5. lib. 12. Meth.

Odores citissimè nutriunt

Democritus.

Rationes in contrariam partem.

adduci poſſunt. Atque nonnulli quidem ſpiritum nutriri negant,& dato quòd nutriretur,ex aere nullo modo ali. Atque ſpiritum quidem non nutriri qui aſſerunt, ita ratiocinantur: Illud non alitur, quod non eſt animæ, ſeu vitæ particeps: at ſpiritus ex ſe & ſua forma animatus non eſt. Vel ſic: Illud nutritionis non eſt particeps,quod ex ſe particeps non eſt vitæ ſeu animæ: at ſpiritus ex ſe non eſt particeps animæ: ergo nec nutritionis. Galenum enim adducunt, capillorum nutritionem non eſſe aſſeuerantem, ſed generationem ſolam,quòd viuere ij minimè dicantur. Aere verò ſpiritus non nutriri ſcribunt Auerrhois & princeps Auicennas tertio Canonis: vbi docet eam rationem habere aerem ad ſpiritum,quam aqua ad corpus. Aqua autem nec ſola, nec cum alio quouis corpore mixta,corpus nutrire apta eſt: itaque nec aer ſpiritum alere dici poteſt. Præterea eadem eſt materia generationis & nutritionis, vt ex Philoſophis & Medicis omnibus conſtat: aer autem generationis ſpiritus in ipſo primo ortu non fuit materia. Actuarius enim libro primo de ſpiritus animalis affectibus & affectionibus, docet ſpirituum generationem ex humoribus eſſe: huius hæc ſunt verba: Aperiendum ſanè oratione de humoribus quoque fuerit, qui prima cenſentur elementa in nobis: deque ſpiritibus, qui ex his generantur, atque ante de nutrimenti diſtributione,ſpirituumque qui ex ea prodeunt. Ergo ſi aer generationis ſpirituum materia non eſt, nec eorundem nutritionis materia eſſe poteſt. Adhæc nihil ſimplex nutrire aptum eſt; nec fieri poteſt, vt compoſitum ſimplici alatur. aer autem ſimplex eſt,ſpiritus verò compoſitus. Item illius quod nutrire aptum eſt,pars vna manere, alia verò foras eiici & expelli debet: ſed qui inſpiratione attrahitur aer, totus expiratione pellitur, id Galeno atteſtante in libro de vſu reſpirat. his verbis: Porrò cùm cor à pulmone aerē ad ſe partim attrahat,partim vicinis arteriis tranſmittat,quā ob cauſam tamen aer qui expiratur,nihilo paucior appareat,quàm is qui per inſpirationem attractus eſt; dicetur quidem alio loco diffuſiùs. nunc autem hoc ſolùm dicere ſufficiet,quòd vapor quidam omninò expiratur par copia portioni ſpiritus in cor & arterias tranſſumptæ. Plura alia in vtramque partem adduci poſſent: adeò controuerſæ ſunt quęſtiones hæ: ſed in præſens his contenti erimus. Ego verò,vt tandem dicam quid ea de re ſentiam, cum Actuario exiſtimo ſpiritum aere

[Margin notes: "In arte parua" (beside "animæ: ergo nec nutritionis"); "cap. 6." (beside "docet ſpirituum generationem"); "loco ſuprà citato." (beside "cam quid ea de re ſentiam")]

aere non nutriri: ſed cùm triplex ſit ſpiritus, vt idem ſcribit, naturalis ſcilicet, vitalis & animalis (licet ſitne aliquis naturalis ſpiritus dubitet Galenus) naturalem quidem ſpiritũ in hepate gigni, ex puriſſima ſanguinis, quem conficit, parte. Ex naturali autem ſpiritu in corde exactiùs confecto, ſpiritum quem vitalem nuncupant, progigni: ex hoc autem exactiſſimè elaborato animalem confici. quod etiam multis in locis Galenus ipſe docuit. Sic autem Actuarius: Quod ſi quis materialem præterea cauſam conſideret, inueniet is vitali longè facilius eſſe, quàm naturali; vt in animalis principaliſque ſpiritus ideam tranſeat, ſic vt vſus ipſius ita cogente neceſſitate, poſt naturalem vitalis exiſtat: poſtremo autem ſic quoque animalis gignatur. Galenus autem tot ſententiis aere ſpiritum nutriri confirmans, ſic intelligendus eſt, vt nolit aerem ſpiritum prorſus reſtaurare: ſed iuuare reſtaurationem ipſius animalis ſpiritus, quæ ex ſpiritu vitali eſt, ſeu ad hoc facere vt vitalis ſpiritus in animalem conuertatur, videlicet caliditatem illius contemperando. Sic quoque Auicennas, qui contraria & repugnantia etiam in eodem capite dicere videtur, intelligi debet. Parem ſcilicet eandemque eſſe rationem aeris & aquæ, in eo, quod vt aqua non nutrit, quemadmodum ſuprà diximus, ſed nutritionem duntaxat iuuat, & ad penetrationem facit: ita nec aer ſpiritum nutrit, ſed ad eius penetrationem & ſubtilitatẽ confert. Ita ex aere ſpiritui duplex accedit vtilitas: altera quòd ipſum ſubtiliorem faciat, altera quòd eiuſdem caliditatem contemperet. Et de propoſita quidem quæſtione hæc ſufficiant.

lib. 12. Meth. cap. 5.

Spiritui duplex ex aere accedit vtilitas.

Qualiter noſtra corpora afficiat aer, & vt læſiones quæ ab eo proueniunt corrigendæ ſint,
Cap. III.

AERIM maximum in omnibus quæ corpori accidunt, auctorem & dominum eſſe ſuprà diximus: nec id certè abſque ratione. Mortalibus enim vitæ, & morborum ægrotis, ſolus is auctor eſt & primaria cauſa, vt diffuſius Hippocrates docet toto libro de flatibus. Corpora autem noſtra afficit aer, vel ſuis qualitatibus, vel tota ſua ſubſtantia. Aer enim qualitatibus ſuis nos lædit, & alterat; vel quòd calidos immodicè, vel ſiccos, vel frigidos, vel humi-

Aer vitæ & morborum cauſa.

Aer ratione duplici corpora afficit.

dos nos efficiat. Quod ex diuersis anni cælique constitutionibus colligere non ita difficile est. eæ enim in alterandis corporibus vim summam habent. hieme siquidem & frigida aeris constitutione, extremæ corporis partes ita refrigerantur, vt interdum mortuæ appareant. Tum enim natiuus calor eas relinquit, coactus per ἀντιπερίστασιν intro se recipere. Qua præsertim ratione meliores eo tempore fiunt concoctiones, sanguificationes & nutritiones. Ventres enim vere & hyeme natura, id est natiuo calore, calidissimos esse; ob idque tum plures cibos dari sanis oportere, scribit Hippocrates. Interdum tamen adeò rigidus est aer, vt natiuum calorem prorsus extinguat: æstate autem contrarium planè accidit. nam interiora corporis relinquit innatus calor, ab externo foras euocatus, vnde extremæ corporis partes perpetuò calent. A calore autem dissoluente, redditur totum corpus quasi languidum: per magnos enim æstus prosternitur, & ferè deiicitur appetentia. Adde quòd triplicis substantiæ corporis, magnam facit difflationem summus aer densque æstiuus ille calor; idque tum per sudores assiduos, tum etiam per insensilem transpirationem. Quæ difflatio cùm non sufficienter restauretur, nec par sit adiectio difflationi, corpore tum nihil aut parum admodum, ratione prostratæ appetentiæ, assumente, tum ventriculo imbecillius concoquente, & ex consequenti, minus alimenti corpori suggerente, redditur totum corpus imbecillius, viresque lánguidiores. Ergo aeris qualitate aliqua corporibus molesta, quæ contrariam temperiem habuerit, eligenda est. Verùm quando his vti cogitur quisque quorum datur facultas, talem arte parabimus, qualem nobis conferre existimabimus. Et facilè quidem intemperata aeris qualitas emendari potest: at vitiatam eiusdem substantiam corrigere, non perinde facile est. Ergo aeris substantia corpora nostra infestante, quod in pestilenti aeris statu accidit, regio mutanda est. Necverò ob eam dumtaxat causam regionem mutare licet: in diutinis enim morbis terram mutare expedit; vt in Epidemiis scribit Hippocrates. Nam veri fit simile aerẽ huic parum conuenire, qui in eo degens diu ægrotat. in alium igitur magis conueniẽtem migrare debet; talis autem erit, qui morbo planè contrarius fuerit. Eam ob causam scribit idem Hippocrates, pueros morbo comitiali laborantes, mutatione potissimum ætatis, locorum & victus, à morbo libera-

ἀντιπερίστασις.

Aeris qualitate molestãte corpus, quid agendũ.

Aeris substãtiæ vitiũ non facilè corrigitur.

Locorum seu regionum mutatio quibus de causis fieri debeat.

lib.6.Epid. sect.5.sen.20

berari. Galenus quoque in Methodo asserit eos qui Romæ, (qui locus assiduis fluxionibus obnoxius erat) pulmonis vlcere laborauerunt; se ad Tabias, quòd illic aer esset siccior, & ad curandum vlcus aptior, ablegasse. Quicunque igitur artem Medicam absolutè consequi voluerit, is temporum anni rationem, ventorum & regionum notitiam habere debet. Certum est enim Astronomiam ipsam, vel ipso testante id Hippocrate, non minimam partem, sed omninò plurimā ad rem Medicam conferre. Ergo reliqua, quæ ad eam de aere tractationem pertinent, ex libro Hippocratis de aere, aquis & locis petenda sunt. Legendus quoque Aëtius lib. 3. à capite 171, ad 175. caput vsque, vbi de aere ex Galeno, de vētis ex Adamantino Sophista, de stellarum ἐπισημασία, deque diebus in quibus oriuntur & occidunt stellæ aerem immutantes, abundè disserit. Nec est verò prætermittendus hic Oribasius. Videtur enim diligentissimè summaque fide antiquorum ferè omnium scripta, de aere eiusque differentiis, de regionibus, ventis, ortu & occasu siderum, & ciuitatum situ in librum nonum suorum collectaneorum transtulisse, à cap. 1. ad 21. caput vsque. legendus quoque Auicennas libro 1. Can. fen. 2. doct. 2. Summa. 1. cap. 1. 2. 3. & ceteris ad 12. vsque. hos igitur auctores euoluat, qui ampliorem horum omnium scientiam & cognitionem desiderat. Atque de aere quidem hæc sint satis.

Medicus Astronomiæ peritus esse debet.

lib. de aere, locis & aquis

Amplior de aere tractatio, ex quibus auctoribus, quibusque ex locis petenda

DE IGNE, CAP. IIII.

IGNEM maximam & potissimam esse vitæ causam, ex eo constat, quod vita Philosophorum & Medicorum omnium consensu in calido consistat: in frigido verò mors. Ob id ignem Plato, Hippocrates autem calorem naturaliū omnium operum auctorem esse asseruerunt. Tanta enim est ignis necessitas, vt reliquorum elementorum, & ex his conflatorum penè omnium corporum, absque hoc nullus sit vsus, vt docet idque elegantissimè Plutarchus, in eo libello in quo quæritur, vtrum ignis an aqua sit vtilior. Nam quæ in corpus ingeruntur, nutriendis nobis ignis beneficio reddun tur idonea. Panis siquidem, & reliquorum animalium & piscium carnes crudæ adhuc, appetitus vsui sunt inutiles: coctæ verò alimenta corporum fiunt. Item vinum ipsum statim ab vuis expressum, crudum inconcoctumque est; solis

Ignis maxima vitæ causa.

Ignis necessitas & vsus.

autem æstu coctum, tunc & suauissimum & maximè potabile redditur. In sanitatis igitur ratione, ignis vsus est, in calefaciendo, & cibariis decoquendis. Nullum autem animal, vt id etiam obiter attingamus, ignis alit. Commentitium enim est quod de Salamandra nonnulli tradidere, eam scilicet igne nutriri. posse quidem eam in igne diutius versari illæsam, facilè crediderim. Tanta enim est eius temperaturæ frigiditas, vt ad aliquod tempus summo ignis calori resistere queat: immò verò ea ipsa frigiditate ignem extinguere narrat Olympiodorus philosophus, in commentariis super libro Aristotelis, De affectibus mistorum; suo enim tempore fornacarios papyri fasces excutere, vt Salamandras decutiãt, consueuisse commemorat, quòd ab iis ignes in caminis extinguerentur: τοῖς ὑελλεψαις (inquit) πολλὴ φροντὶς τοῦ τινάσσειν τὴν πάπυρον, ἵνα μὴ ἔνδον περιέχηται ἡ σαλαμάνδρα. ζημιῶνται γὰρ αὐτοῖς τῷ σβέσαι τὴν κάμινον. Ceterùm non ita refert ad cibariorum cocturam, ex qua materia ignis fiat. Dũ verò ob aeris rigorem hiberno tempore ad ignem accedere cogimur, nos calefaciendi gratia, diligentiùs paulò attendere ad ignis materiam debemus. nam factus & ex lignis vitiatis accensus ignis, non parum nocet. Mulier enim quædam longum tempus in balneo commorata, frequenter exoluebatur, tum ob temporis diuturnitatem, & quòd balneo magna ex parte ligna succendebantur vitiata. Vitanda sunt etiam ligna, quæ prauum & grauem fumum, caput tentantem, vel alicui parti corporis noxium emittunt: vt sunt populi, sambuci, brusci, mori, & spinarum omnium. Ignis ex carbonibus factus caput grauat, efficitque nonnunquam, vt qui debiliori sunt totius corporis, vel partis alicuius structura & temperamento, in pessimos incidant morbos. Praua enim qualitas, quæ cum fumo exhalare debuisset, per vim in carbonibus remansit; quæ cùm accenduntur, corporibus non leuem noxam infert. Eandem ferè ob causam ex lignis viridibus accensus ignis, prauus censendus est. Præterea ignis quoque vsus est non contemnendus, ad corrigendam aeris in pestilenti eius constitutione malignitatem atque vitium. Aer enim corruptus in substantia, igne emendatur; eoque vel simplici, vel ex aromaticis calidis constructo: qualia sunt lignum aloës, myrrha, costus, cinnamomum, xylobalsamus, storax, cypressus, iuniperus, laurus, rosmarinus, & cetera id genus.

Ignis in sanitatis ratione vsus.

Salamandra igne non alitur, vt quidã asserunt.

Ignis materia qualiter spectanda sit.

In aph. 41. sect. 2. aphor.

Aeris malignitas igne corrigitur.

De terra, cap. v.

Terra communiter & vulgari appellatione illa dicitur, quæ agriculturæ est aptissima; quæque humore macerata lutum efficitur. Atque in ea has differentias constituunt, vt aliam pinguem, aliam verò macram nuncupent. alia autem vocabuli terræ significatio, qua designatur vnum ex elementis, à Philosophis solis vsurpatur. Terræ autem nominatæ passim differentiæ aliæ petuntur à substantia, aliæ à mistione alienorum corporum, de quibus agit Galenus fusissimè lib. 9. de medicam. simpl. facultatibus. Itaque his omnibus omissis (vt quorum tractatio nihil ad studium sanitatis faciat) nullam terram alere asserimus. Verùm ipsa fœcũditatis mater nobis alimentorum, ciborum & potuum materiam abundè suggerit: Cerealia vtpote semina, fructus varios, herbas, aliaque, quæ omnia in vsum humanum profert. Nullum enim vegetabile gigni, crescere, vel ali potest, nisi in terrestri substantia radicetur. In summa, terra plurima suppedirat, quæ abundè satis sint, non ad alimoniam modò, verumetiam ad delicias ac voluptatem: quorum alia sic exhibet, vt citra negotium protinus eis vti liceat; alia rursum, vt ceteris admixta omniiugis rationibus ea condulcent condiãtque. Superesse videtur tractatio de aqua: verùm quia eius primus vsus idemque potissimus in potu existit, de ea sermonem in librum quintum, in quo de potuum generibus agitur, transtulimus. Et de elementis quidem hactenus. Absoluta verò hac de elementis tractatione, de his quæ terra nobis suggerit, alimentis disserere, ratio ordinis postulabat. Verùm quia ex Hippocratis sententia labor cibum præcedere debet, priùs de exercitio agere operæpretium iudicauimus.

Terra quid. Gal. lib. 9. de simpl. medic. facul.

Terræ differentiæ.

Terra non alit, sed ipsa fœcunditatis mater est.

DE MOTV SEV EXERCITIO, ET QVIETE,

SECTIO II.

Protinus assiduos ni forte requiritis haustus,
Pharmaca, vel pilulæ nobilis antidotum:
Surgite iam lenti conuiuæ, corpora torpent
Vestra: petunt motus tempora certa suos.

Relliquiæ saturo resecatæ à ventre supersunt,
Sedulus has soluet, quum labor auctus erit.
Hic saliat, faciles alius decantet amores,
Cursitet iste, leues torqueat ille pilas.
Quadrupedi insideat spectabilis ille feroci,
Iste leues ceruos, ille sequatur apros.
Sic agite in valido dum crescunt pectore vires,
Nec sinite à fesso vt corpore sudor eat.
Naturæ hinc calor inuigilat, bene concoquit, omnes
Effugiunt sordes, & famis ardor adest.
Segnities torporque abeunt, medicina valebit,
Nominis est solo non mihi grata sono.

Motus quid: exercitationis necessitas: exercitationis ratio in sanitatis regimine, & tempus.

CAP. I.

CVM corpus in aliquo ab iis, sub quibus antè fuit, recessit, id moueri existimatur: ideoque motus prioris habitus immutatio dicitur: sed is voluntarius esse debet. nã naturæ exercitium & opus, labor dici nulla ratione potest, cùm sit necessarium. Hoc autem loco motum, exercitationem, laborem, pro eodem sumi volumus. Non est tamen motus omnis exercitatio; sed solus vehementior motus exercitij nomen meretur. Vehementiæ autem terminus, vt infrà etiam dicetur, debet esse anhelitus alteratio. In quibus enim nulla fit respirationis immutatio, hos nõdum exercitationes vocamus. Laboris autem nomen idem esse cum exercitatione videtur. Sanitatis autem conseruationem à labore auspicandam esse scribit Galenus, quem excipere debent cibus, potus, somnus, & Venus, in iis in quibus Veneris vsus salutaris est, aut saltem innoxius, iuxta Hippocratis sententiã: Labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria. Et certè ad tuẽdam sanitatem multum conducit moderata exercitatio: contrà quies & otium diuturnum maximo nocumento est. Neque enim morbo quisquam corripere-

Motus quid.

Exercitatio quis motus.

Labor.

lib. 2. sanit. tuend.

Exercitationis ad tuendã sanitatem vtilitas.

peretur, si accuratè obseruaret, ne in cruditates incideret, quæ ex otio generari solent. Otium enim morbos plurimos, eosque ex repletione procreat. Corpus enim otiantibus minus digeritur; qua ratione etiã debiliores redduntur. Corporis itaque exercitatio omninò necessaria est: ignauia nãque corpus hebetat, & effœminatos reddit: industria autẽ firmat, & alacriores firmioresque facit. Lacedæmonij enim pueros ruri alebant, vt laboribus consuescerent, sub dio pernoctarẽt, frigore & æstu, puluere, cursu, venatione, luctatione, iaciendo prosiliendoque obdurarent: nudis etiam corporibus certabant. Expectandum sanè est viro suæ sanitatis aliquam rationem habenti, vt cibum natura exigat, quæ laborando, ambulando, exercendoque excitanda est. Exemplo Socratis philosophi, qui contentius aliquando cùm laboraret, rogaretque cum aliquis, cur id faceret, respondit, quò melius cœnaret, ambulando obsonare famem. Nec enim exercitium immeritò dicitur esse optimum condimentum, & pulpamentum fames. Irritamenta namque gulæ, & elegantes opiparæque dapes illæ, cælo, terra, marique exquisitæ, non melius sapiunt, viro in otio degenti, ac desidioso, quàm panis exercitato atque famelico. Ptolemæus rex cùm Aegyptum peragraret, neque eius milites cum cibariis eum adhuc assecuti essent, esuriens admodum, panem è tugurio pastorali arreptum, magna cum auiditate comedisse fertur; iurasseque in omni vita nihil suauius eo pane comedisse. Darius quoque Alexandrum Macedonem fugiens, cùm vehementer sitiret, aquam turbidam, cadaueribusque inquinatam, è proximo profluenti haustam, cum magna auiditate bibit: dixitque se nihil vnquam iucundius hausisse. Tempus autem ad exercitationem commodissimum est, cùm hesternus cibus duplici concoctione, & ea quæ in ventriculo, & ea quæ in vasis fit, planè concoctus fuerit, & alterius cibi sumendi tempus instīterit. Si enim prius aut posterius exercitatione vtaris, aut crudis humoribus teipsum implebis, aut bilis flauæ prouentum augebis. huiusce autem temporis nota, est vrinæ color: quæ enim aquosa est, crudum adhuc in venis esse eum succum, qui à ventriculo submittitur indicat: quæ verò rufa biliosaque est, iamdudum huiusmodi succum concoctum esse: quæ modicè pallet, peractæ modo secundæ concoctionis est signum. Cùm ergo vrina mediocriter rufa fuerit, aut mediocriter pallens, tum adeunda

Otium.

Lacedæmonij

Socrates

Exercitatio optimum condimentum.

Ptolemæus.

Darius.

Tempus ad exercitationẽ aptum.

est exercitatio;expulsis tamen priùs excrementis, quæ vel in vesica,vel inferioribus intestinis continentur. Periculum enim est, ne quid ex his in habitum corporis rapiatur; correptum videlicet vi caloris quem accendit exercitatio. quã ob causam vbi fames,laborandum non est,ne corpus statim dissoluatur. In vniuersum autem illud perpetuò obseruandum est,vt exercitia ipsa cibum præcedant. Exercitatio enim à cibo,aut alimentum præripit, aut huius ipsius per corpus digestionem imperfectam reddit,aut calore adaucto,venæ arteriæque ad extimam corporis superficiem, impetu, ante concoctionis absolutæ tempus alimentum arripiunt: crudiorumque ita humorũ in corpore copiã penitius colligũt:quæ sanè omnia ingẽtium morborum primordia fiunt.

Aph.16.sect. 2.aphor.

Exercitia cibum præcedere debent.

Exercitationis à cibo incommoda.

Exercitationum genera seu differentiæ, CAP. I I.

EXercitiorum tot sunt genera,quot sunt motuum differentiæ. Motus autem omnis duplex est: aut enim à nobis ipsis,aut ab aliis mouemur. Nam qui à medicamento fit motus,nequaquam ad sanos pertinet.hic passiuus;qui verò à se editur,actiuus dici solet. Prioris generis exercitationum, quæ scilicet à nobis ipsis perficiuntur, sunt lucta, pancration,cursus,& alia id genus. Qui autem ab altero præstatur motus,nauigando, equitando, vehendo,in cunis, lectulis, vlnisque obitur. horum autem alia tantum exercitationes sunt: alia non exercitationes solùm, sed etiam opera. Rursus exercitationum differentiæ aliæ petuntur ab ipsorum qualitate: Exercitatio enim quædam velox est, quædam tarda: alia robusta, alia imbecillis: alia vehemens, alia leuis. Aliæ verò differentiæ ab vtendi ratione sumuntur. Aut enim perpetuus est motus, aut intercisus: perpetuus,æquabilis,aut inæquabilis: intercisus, aut certo ordine,aut citra ordinem.Denique exercitationum reliqua differentia,ab externis desumitur: aut enim sub dio fit,aut sub tecto,aut in mista vmbra. item aut calens est locus, aut frigidus,aut media tempetie. vel siccus,aut humidus, aut medio modo affectus. Præterea quædam totius corporis sunt exercitationes, aliæ verò sunt magis crurum, aut brachiorũ, aut organorum vocis,aut alterius alicuius partis. Et hæc quidem sunt capita, ex quibus exercitationum sumuntur diffe-

E quibus exercitiorum petantur differentiæ,ex Galen.lib.2.san. tuend.

Motus duplex.

differentiæ. Ceterùm exercitationũ genera veteribus multa & varia fuerunt, quæ omnia diffusè admodum tractat Galenus libro secundo sanitatis tuendæ: ad quem locum, ne caput hoc in immensum crescat, lectorem ablegamus. Ea verò hic duntaxat percurremus exercitiorum genera, quæ apud nos in vsu frequentiore esse solent. Et primùm quidem de saltatione agemus. Differt autem exilire à saltando, vt refert ex Antyllo Oribasius. nam exilire est cursui simile, cùm eodem in loco corpus manet, poplites inflectendo, & circumuehendo. Saltus verò est fermè crurum continuus. his similis est saltus, quo Lacœnæ mulieres ad nates saltando priscis temporibus vtebantur. Saltabant enim circumflexis cruribus; ita vt calcibus nates attingerent: quandoque cruribus alternatim inflexis, vt calcibus nates peterent: quandoque verò vtrisque, vno & eodem tempore. Porrò exilire diuturnis capitis morbis, thoraci, materiæ quæ ad supernas partes propensa fertur, cruribus imbecillis, sese non alentibus, excarnibus, stupidis & tremulis accommodatum est. Saltus verò magis per inferiora ducit: sed quia thoracẽ concutit, eius affectibus minus conuenit. Organorum autem vocis exercitium, vociferatio nuncupatur: ea thoracis & instrumentorum vocalium, immò naturalis etiam caloris exercitatio est. Calorem enim auget, purgat, firmat & attenuat. Solidas verò corporis partes robustas, puras, & offensæ minimè obnoxias reddit. Commoda autem exercitij vocis optimè, atque adeò disertè Plutarchus his verbis explicuit: At quum vox sit agitatio spiritus, non leniter nec in superficie, sed velut in ipso fonte, in ipsis visceribus valens, & calorem auget, & sanguinem subtilem reddit, & omnes purgat venas, arteriasque omnes aperit; humorem verò superfluum non sinit crassescere, neque concrescere, qui fæcis in morem subsidit, in his conceptaculis, quibus accipitur & conficitur cibus. Itaque cùm primis danda est opera, vt sese huic exercitationi familiares & assuetos reddant, assiduè disserendo, aut legendo siue recitando, si quid suspicabuntur corpus esse lassum, aut imbecillius. nam quod ad certaminum laborem est gestatio, id est, ad disputationem lectio, quæ velut alieni sermonis vehiculo, mollius nos agitat, & placidè vocem perfert. At disputatio contentionem ac certamen adiungit, quum animi labor vnà cum corporis labore copulatur. Quanquã à nimis commotis vociferationibus

Saltatio.

Exilire à saltãdo vt differat.

Exilire quibus vtile.

Quibus cõmoda sit saltatio

Vociferatio.

Commoda exercitij vocis ex Plutarcho in præcep. de tuend. bona valetud.

bus & iurgiosis clamoribus est temperandum: siquidem inæquales illæ spiritus intensiones & impetus, rupturas & spasmos solent inducere. Ceterùm, plura de sermone, voce, & vociferatione, lege apud Oribasium ex Antyllo, capitibus 7, 8, 9, & 10. lib. 6. suorum collectaneorum: vbi eius vsum modumque tractat.

Cursus. Cursus deambulatio vehemens est, & concitata: ideoque cursus minimè laudauerim, inquit Galenus, quippe qui corporis habitum extenuent, hominemq; ad fortitudinem nullatenus assuefaciunt. non enim celeriter fugientibus victoria debetur, sed iis qui cominus valeant obdurare. Neque quod celerrimè currerent Lacedæmonij plurimùm potuerunt; sed quòd hostes persistendo trucidarent.

lib. de paruæ pilæ exercit.

Cursus vtilitas. Quod si cursus quàm bonæ profit valetudini quæsieris, quatenus corporis partes inæqualiter exercet, eatenus salubris censendus non est. Valet tamen ad corpora calefacienda; quam ob causam hiberno tempori accommodatior est: item ad appetitum reuocandum, & ad actiones naturales corroborandas, stomachum firmandum, & fluxiones euocandas: verùm caput implet. renum morbis & seminis profluuio confert: prodest quoque ischiadicis: iis quoque quorum viscera torquentur, & qui fungos esitarũt, & qui à scorpionibus icti sunt, cursum mirum in modum profuisse obseruatum est. hæc quidem moderati cursus præstant.

Celeres cursus multos perdidere, vt magnæ vociferationes. Celeres autem cursus, teste Galeno, rupto vase præcipuo multos iãdudum perdidere. Itidem & voces magnæ pariter ac vehementes vno tempore affatim emissę, maxima detrimenta nõ paucis attulere.

Exercitatio pilæ. Exercitatio quæ ex pila existit, promptiores ad motum reddit eos, qui in ea se exercent, & vitales actiones roborat. Nulla autem alia exercitatio ita corporis partes omnes æqualiter exercet, atque ea quæ ex parua pila habetur. Quantum verò ipsa ceteris exercitationum generibus præstet, vide apud Galenum in libello de paruæ sphæræ exercitio.

Palæstra. Veteres in palæstra magis se exercuisse, & in lucta legimus. Epaminundas Thebanus imperator excellentissimus, diligentem operam palæstræ dedisse traditur. Plato etiam philosophorum summus apud Aristonem Argiuum palæstra se exercuit. à quo & Plato, propter illius peregregium corporis habitum appellatus dicitur: cùm priùs Aristocles aui nomine vocaretur.

Lucta Lacedæmoniis familiaris. Lacedæmoniis quoque lucta familiaris fuit: nam ipsi feminas etiam inter se luctari iubebant: & victricem victori despondebant, vt futura soboles forti-

fortibus orta parentibus longè robustior nasceretur. Palæstra autem seu lucta vehemens firmum & validum spiritum efficit; itemque corpus solidum & musculosum: neruos etiam confirmat,& sensus exacuit, & naturales actiones corroborat. Carnem densam illam quidem & excitatam, sed tamen ex omni parte paucam adiicit: pinguedinem, omnia œdemata, tumores, aquam intercutem dissoluit; thoraci autem aliena est. At placida palæstra carnem multam comparat: ex quo fit, vt iis qui reficere se incipiunt, sit superiore accommodatior. Erecta autem palæstra capiti prodest & thoraci,& neruos corroborat: quæ verò super pauimento fit, lumbos, genua, præcordia,& intestina vitiata adiuuat: sed capiti est ineptior. Equitatio regia prorsus est exercitatio. Si quod enim exercitij genus ad regem, aut principem, nobilesque imprimis viros pertinet, præcipua certè est equitatio: quæ quidem in pace iucunda est, in bello autem non vtilis modò, verumetiam perquàm necessaria. Ad equitationem Iulius Cæsar adhuc puer ita se composuit, atq; corpore adeò agili extitit, vt reflexis post tergum manibus, equũ saltibus, cursibusque, immotus ipse concitaret, & è vestigio habenis regeret, statimque in exiguum orbem circumflecteret,& à præcipiti cursu retineret. Alexandri regis in tractandis equis miram industriam & ingenium non immeritò veteres extulerunt: is enim Bucephalum à toruo aspectu, siue ab insigni taurini capitis, quod in armo inustum habebat, ita dictum, admirandæ ferocitatis equum (nec enim tractari ab aliquo poterat, nec etiam sessorem vllum accipiebat: sed passim singulos exturbabat) blandè per iubam apprehensum reiecta sua chlamyde, securus ascendit; habenisque ita subegit & domuit, vt regi eum conscendere volenti genua submitteret,& illum spontè dorso acciperet. Hoc cùm admiraretur Philippus, desilientis ex equo filij caput osculatus est: dixitque, Aliud iam impar regnum quære, Macedonia enim te non capit: quasi ex tanta indole iam conciperet, illum maximum regum omnium fore. Ceterùm, equitatio magis quàm aliæ exercitationes omnes, corpus & præsertim stomachum firmat, & sensuum instrumenta purgat, eaque acutiora reddit. Spinam enim erectam sustinere, exercitij genus hoc postulat, tum vtrisque fœminibus, equi costis firmiter hærere,& crura extendere, ante prospicere etiam oportet. in quo non modò visus, sed etiam collum laborat:

Palæstræ seu luctæ vsus.

Placida palæstra.

Palæstra erecta.

Equitatio.

Iulius Cæsar.

Alexandri in equis tractandis industria.

Equitationis vires & vsus.

præcipuè tamen viscera hoc genere agitantur; infensissima verò est thoracihęc exercitatio. Venatio ex eo exercitationũ genere est, quæ corpus exercentes, animũ oblectãt (quod genus exercitiorum vtilissimum censendum est). Vnde & sapientes, & humanæ naturæ probè periti iudicandi sunt, qui venationes, & alias animalium capturas, primi omnium adinuenerunt; laborem qui illis est, voluptate, oblectatione, laudisque cupiditate lenientes & temperantes. Adeò verò potentes sunt, quæ in eo genere exercitij contingunt animi motiones, vt multi morbis sæpè liberati ex delectatione fuerint; multi rursus ex nimia conturbatione in morbos inciderint. Alexander, cui Magno ob virtutem cognomentum fuit, cùm aliquid otij à summis negotiis nactus esset, venationis studio summoperè tenebatur: eamque in tigres, pardos, apros, vrsos, leonesque libentiùs exercebat: ei namque colluctatio aliquando fuit aduersus maximum ferocissimumque leonem; quem post magnam difficilemq; pugnam, quasi laborum Herculis æmulus, summis viribus tandem strauit. Et certè venationis exercitatio optima est, cùm à rusticis militaribusque laboribus non multum abest. Xenophon enim cùm Cyri militiam sequi destinaret, equorum venationisque disciplinam priùs summo studio assecutus est: asserens inutilem esse militem, qui in illis non magnopere versatus esset. Nec mirum equidem esse debet, quòd venatio claris principibus semper gratissima fuerit, & quasi peculiaris exercitatio: speciem enim non paruam fortitudinis præ se fert: & similitudinem quandam cum re bellica tenet. Ducem præficit sibi venatio, cuius dicto omnes auscultant, atque obediunt: hostem excursionibus prouocat, exploratores in speculis disponit, insidias abdit, apertum Martem simulat: diuortia quę ad fugam patẽt, obseruat, per saltus quidem & arua pedites præmittit, loca plana & aperta equitum alis præcingit, cornuum strepitu progressui receptuique canit: dat signa prædæ ac victoriæ, prædam aduentantem aut euadẽtem significat, moueri castra indicat: adeò vt concludendum sit, venationem bello ac pugnæ simillimã esse. Viriatus Lusitanus primus in Hispania dux magnus, cùm pastor esset, militarem disciplinam ex sola venatione didicit: cui quidem operam diuturnam dedit Philopomenes Achæorum dux præclarissimus; quoties ab armis otium nactus erat, operam venationi dabat; vt qui opinaretur, eam

Venatio.

Alexander magnus.

Venatio optima exercitatio est.

Xenophon.

Venationis cum re bellica similitudo

Viriatus.

Philopomenes.

rei militaris comitem,& regum, imperatorum, ducumque palæstram. Hæc ferè sunt vsitatiora apud nos exercitationũ genera.

De exercitationum mensura, & quæ cuique tum tempori, tùm ætati exercitatio magis conueniat, CAP. III.

EXercitationis terminus, vt suprà etiam diximus, debet esse anhelitus alteratio: quando in quibus nulla fit respirationis mutatio, hæ nondum exercitationes dicendæ sunt. Illæ autem potissimùm laudandæ sunt exercitationes, vt scribit Celsus, quarum finis plerunque sudor est; aut certè lassitudo, quæ citra fatigationem fit. idque ipsum modò minus, modò magis faciendum est. In eo enim qui minus laborauit,& bene concoxit, amplior: in eo autem qui fatigatus est, & minus concoxit, remissior esse debet exercitatio. In vniuersum igitur sanitatis suæ studiosus obseruare debet, vt tantisper se exerceat, dum nondum lassitudinem exercitatione contrahat: quam si suboriri persentiscat, desistere conuenit. Qui autem exercitantur, his hieme currere conuenit,& luctari; æstate verò luctari quidem parum, currere verò haudquaquam: sed deambulare multum in frigore. In summa, hieme exercitia, quæ calefacere valeant & exiccare; æstate, his contraria eligenda sunt. Et verò aliud exercitij genus infantibus, aliud adolescentibus, senibus denique aliud exercitationis genus accommodatius est. Quæ autem exercitia quibus ætatibus conueniant, exponit Galenus, idque abundè lib. 2. sanit. tuend. Cæterùm, illud in vniuersum memoria tenendum est, naturam optimam, exercitationum, ciborum, somni quoque mensuras apertè indicare, quas oratione definire nemo potest, propter varias singulorum & differentes temperaturas: & quod huic hoc exercitij genus hieme, illud æstate accommodatius sit, alteri contrà. Adhæc iis qui valentioris alimenti cibum sumpserunt, exercitatione, vti conuenit vehementiore,& cõtentiore deambulatione, venatu, palæstra, cursu, disco; summatim quodcunque tandem exercitationis genus existimetur respirationem vehementiorem concitare posse, ac calorẽ adaugere,& tenui quodam sudore humectam cutim perfundere. Ei verò qui tenui victus ratione vti consueuit, satis erit etiam

Exercitationis terminus.

cap. 2. lib. 1.

Quæ exercitia singulis anni temporibus magis conueniant, ex Hippocr. lib. de salut. diæta.

Natura optima exercitationum mensuras indicat.

etiam breuior deambulatio, præsertim si ante cibum ineatur. ac manè quidem breuior ea & tardior esto vergente anni tempore ad calidum, contentior autem & diuturnior hieme.

Exercitationis commoda & incommoda,
CAP. IIII.

Exercitationis duplicia sunt commoda: nam tum ad excremẽtorum inanitionem, tum etiam ad solidarum partium bonam habitudinem conferunt. Quia enim vehementior motus exercitatio est, instrumentorum duritiem, genuini caloris augmentum, & spiritus valentiorem motũ necessariò inducit. Ex instrumentorum duritia, sequitur ad labores robur & renitentia: ex calore, distributio validior, immutatio expeditior, nutritio absolutior, omniumq; corporum fusio, ob quam solida mollescunt, humida tenuantur, exigui meatus laxiores fiunt: sanguis otio deprauatus emendatur: stomachus absoluta concoctione, & cibi ingesti superfluitatum facta excretione, ad appetentiam rursus excitatur. Denique ex valentiori spirituum impetu, purgari hos omnes meatus necesse est, & excrementa expelli: inde mens sensusque omnes & celeriores & acutiores redduntur.

Exercitiorum ad tuendam bonam valetudinem vsus

Ex his itaque constat, exercitia non parum tuendæ bonæ valetudini conferre: quibus & naturalis calor refocillatur, & excrementorum reliquiæ, aut per halitum digeruntur, aut inferius protruduntur. Ea enim adstrictos corporis meatus obstructionibus liberant; ac si quid lenti humoris infixum vasis hærensque fuerit, abstergunt, crassasque humiditates attenuant & dissecant. Ea verò quæ diximus omnia de exercitiorum vsu & vtilitate, de temperatis seu moderatis exercitijs intelligenda sunt.

Immodicæ exercitationis noxæ.

Sicut enim industria & ingenuus labor corpus firmat, aptiusque ad labores efficit, eaque præstat quæ modò diximus: sic etiam nimia illa exercitatio, continuusque labor frangit, & ad immaturam senectutem præcipitat. Aristoteles testis est, eiusmodi laboribus corporum incrementa impediri, & membra distorqueri. Sic quoque Celsus: Nos, inquit, frequenter cernimus laboriosos homines varicosos fieri.

Apotherapia quid.
lib 1. cap. 2.

Ceterùm, omnis exercitationis probè peractæ postrema pars, Apotherapia dicitur. Eam ob causam iubet Celsus exercitationem sequatur

quatur modò vnctio, vel in sole, vel ad ignem; modò frictio, modò balneum: sed in conclaui maximè & alto & lucido, denique etiam spatioso. Apotherapiæ autem scopus vsusque est duplex, vt & excrementa purget, & vt corpus à lassitudine tutum reddat. Apotherapiæ scopus duplex.

Sit'ne exercitium ieiunis, quàm saturis salubrius,

CAP. V.

DIximus suprà, cùm de exercitationis adeundæ commodo tempore ageremus, corpus ante cibum, seu ieiunum exercendum esse. Verùm quia res hæc non parum difficultatis habet: nam in vtramque partem rationes adduci possunt etiam validissimæ, nullaque ferè in scholis frequentius agitatur quæstio, quàm hæc; apprimè vtile, & ad tractationem de exercitiis planè necessarium iudicaui, quęstionē hanc, qua sit'ne ieiunis labor, quàm saturis salubrior, tractare. Ante cibum autem laborandum esse; ideoque ieiunis salubriorē esse laborem, sequentes auctoritates probant. Scribit Hippocrates libro sexto Epidem. Labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria. Cuius sensum exprimit Galenus libro secundo de sanit. tuend. his verbis: Modum enim singulorum definiuit, addito epitheto, Mediocria: ac tempus æquè signauit, ipso sermonis ordine, quippe sanitatis conseruationem à labore auspicandum est: quē excipere debent cibus, potus, deinde somnus. Galeno consentit Paulus Aegineta: Manifestè liquet (inquit) ex eius commodis exercitationem cibo præmittendam esse. Idem sentit Aëtius: Constat (inquit) ciborum assumptioni exercitium præferendum. Quibus minimè repugnat Celsus, cuius hæc verba sunt: Qui non concoxit, ex toto quiescere debet: ac neque labori, neque exercitationi, neque negotio se credere. Sin lucubrandum est, non post cibum id facere oportet, sed post concoctionem. Quem post cibum, vel domestica vel ciuilia officia tenuerint, huic tempus aliquod seruandum curationi sui corporis est. Prima autem eius curatio, exercitatio est, quæ semper antecedere cibum debet: post satietatem nihil agendum. Si quis interdiu se implebit, post cibum neque frigori, neque æstui, neque labori se committere debet. Citarem ego & Arabum, & reliquorum medicorum turbam in eam sententiam, nisi certò mihi consta-

Ante cibum exercendum corpus esse.

cap. 16. lib. 1.

cap. 2. lib. 3.

cap. 2. lib. 1.

constaret, satis esse, conformia citatorum auctorum testimonia. Sed ne citra rationem hæc asseruisse quis iudicet, audiamus Galenum ita libro secundo de sanit. tuend. disserentem: Ab exercitio tria in corpore fieri necesse est: nempe membrorum duritiem, ex mutuo ipsorum attritu (quam ob causam scribit Hippocrates, laborem articulis conferre, vt visceribus somnum) natiui caloris augmentum, & spiritus citatiorem motum. Sequi verò hæc, reliqua omnia quæ superiori capite commemorauimus, commoda, quæ corpus exercitiis accepta refert. Atqui si exercitatio hæc præstat, haud difficile sanè fuerit, tempus hac vtendi statuisse. Nam quoniam inter cetera, distributionem in corpus adiuuat, nō debet, cùm administratur, crudi incoctíve cibi aut succi copia, vel in ventre, vel in vasis contineri. vnde periculum sit, ne priusquàm per maturam coctionem vtilis sit, in omnes animalis partes rapiatur. Quoniam verò exiguos quoque meatus expurgat, & excrementa expellit, vtilius est ante cibum exerceri. siquidem quæ impura sunt corpora, & ab excremētis parum repurgata, quo magis nutries, eò magis lædes. Vnde satis patere arbitror, tum esse ad exercitationem commodissimum tempus, cùm hesternus cibus duplici coctione iam prorsus sit confectus: ea scilicet quæ in ventre, & ea quæ in vasis sanguinis perficitur, ac iam denuò cibandi tempus instet. Quòd si prius aut posterius te exercueris, aut crudis succis teipsum implebis, aut pallidæ bilis prouentum augebis; sanè huiusce temporis vrinæ color nota existit. id verò superiùs, vbi de commodo exercitationis tempore egimus, abundè diximus. Hanc Galeni rationem paucioribus verbis confirmat Aegineta, cap. 16. lib. 1. quo loco ait; Exercitatio id commodi præstat, quòd partes instrumētarias morbis non opportunas efficit, & functionibus obeundis validas. Præterea vt alimenta fortiùs attrahant, promptius immutent, & liberaliùs reficiantur caloris beneficio, quem illa excitauit: adde quod meatus expurget, recrementa propter validam spiritus motionē expellat. Quoniam igitur alimentorum per corpus membratim digestionem adiuuat, conuenit vt neque copiosi, neque crudi siue cibi siue humores in ventriculo aut intestinis contineantur. Periculum enim est, ne priusquàm probè concocti fuerint, in vniuersas animantis particulas distrahantur. His subscribit etiam Aëtius cap. 2. lib. 3. Exercitij vsus est, inquit ipse, vt

Ab exercitio tria in corpore fiunt.

vt instrumentalia membra,& passionibus magis renitentia, & actionibus promptiora reddantur, sintque ad nutrimenti alterationem validiora, & ob calorem corpori acquisitum, nutritioni aptiora, vtque à spiritus motione vehementi, meatus tum sensibiles,tum occulti expurgentur. At quoniã alimenti distributioni consulendum est,non oportet ciborum crudorum,semicoctorumque, vel omnino aliquam humorum multitudinem, neque in ventriculo, neque in intestinis contineri: alioqui periculum immineret, ne ad cuncta animalis membra deferrentur,priusquàm sicut decet cõcocta forent.His itaque sententiis atque rationibus,quibus accedunt etiam Arabes,satis constare puto,ciborum assumptioni, laborem siue exercitium esse præmittendum. Vnde statim sequitur,laborem ieiunis quàm saturis esse salubriorem.In alteram tamen partem nonnullos trahere possent aliquot illustrium medicorum sententiæ: & imprimis Hippocratis, qui aph.16.sect.2. sic scribit; Vbi fames,laborandum nõ est. Cui subscribit Galenus in expositione eiusdem aphorismi,his ferè verbis: Est autem sermo ipsi communis ad sanos & ægros: sanis enim non sunt præcipienda exercitia simul cum inedia: neque etiam ægris aliquis vehementior mötus adhibendus,vnà cum cibi abstinentia: neque sanguinem mittere oportet,neque citare vomitum,neque purgare,neque multa vti frictione, neque in vniuersum aliquo forti motu,vel corporis alteratione. in talibus siquidem motibus,vbi cibus defuturus est, vires dissoluuntur, siue ægrotent,siue etiam sani sint homines.His Galeni verbis assentitur Celsus,cap.2.lib.1. inquiens: Si quibus de causis futura est inedia, labor omnis vitandus est. Adde quòd Galenus cõmẽtario in aph.5.sect.1. scribit plurimos agricolas, simpliciter bonum contrahere habitum, in fodienda terra,metendis segetibus,& ceteris rusticis laboribus. Plurimi autem horum saturi sæpius,quàm ieiuni hos labores subeunt, cùm statim à cibo solitos labores repetant.Prǽtereà turbam innumeram videre licet virorum,mulierum, puellarum,statim à cibo saltationibus,cursui,venationi,pilæ, similibusq; exercitiis se committere,atque inde bonum habitum sæpius contrahere.Scribit quoque Ruffus,Insessus hic seu deambulatio magis mihi placet,si à prandio fiat; quoniam bonitatem operationis cœnæ præparat.Vnde plerisque labores saturis potius, quàm ieiunis salubriores videri possunt. Quibus

A cibo exercitia subeunda esse.

bus suggeri potest ratio ex hoc Hippocratis decreto: Carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit: fames enim corpora siccat. Igitur si fami & ieiunio succedat labor, corpora magis arefaciet, ac tandem vires deiiciet: quæ si reficiantur cibo, laboribus perferendis sufficient. Præterea calore valido opus est, ad ciborum assumptorum concoctionem; ad exercitium caloris natiui augmentum procurat. Igitur à cibo sumpto commodior erit exercitatio, ad concoctionem adiuuandam: adhæc eadem ratio est balnei & exercitationis, cùm vtriusque eædem ferè sint operationes. at in iis qui vitioso corporis habitu laborant, præstat eos antequàm balneum ingrediantur, cibum sumere: itaque & exercitia eis à cibo sumpto indicenda. Denique concoctionum præcipua est tertia & postrema, ea verò postremò perficitur: & ferè tum eius tempus instat, cùm ad sumendum cibum rursus accedimus. Digestio autem & concoctio omnis quiete perficitur. Naturalis enim calor tum intro se recipit, qui exercitatione foras euocatur. ergo ante cibũ corpus minimè exercendum est. Tradunt etiam nonnulli, salubre esse, à cœna ambulare. ex quibus omnibus sequitur laborem saturis, quàm ieiunis salubriorem esse. His itaque sententiis & auctoritatibus in partem vtramque allegatis, quid tandem ea de re sentiendum sit, breuiter & apertè dicã. singulis enim rationibus satisfacere prolixius esset. Ergo exercitatio ante cibum prorsus vtilis est; sed eadem etiam à cibo confert, & saturis quidem commoda est, ieiunis verò multò commodior & accommodatior. Et iis quidem qui vehemẽtiorem aliquem motum atque exercitationem sunt subituri, aut alioqui longius iter confecturi, præstat vacuo & stomacho ieiuno exerceri, aut iter illud lõgius conficere. A cibo verò leuis quædam deambulatio, aut alia similis aliqua exercitatio confert, ne circa os stomachi seu ventriculi cibi innatent: efficit enim vt assumpti cibi, ventriculi fundum petant. Nunc reliquum est, vt de quiete agamus.

Quæstionis controuersæ solutio.

DE QVIETE, CAP. VI.

Si quando est optanda quies gratissima nautis,
Quum malè disiecti succubuere nothis:

Illa

Illa velim fessis consumpta aptissima cœna
Conuiuis veniat, grata futura, meis.
Et nos vela damus, rapiunt iam lintea serui,
Mergimur, & pleno nos ferit vnda lacu.
Brachia iactantur nobis, consedimus omnes,
Quisque suis transtris, cuppa calixque tonant.
Bacchātum insurgit clamor, creberque tumultus,
Cura salus cuique est, hic sibi quisque vacat.
Tiphys ibi, hic vigil est pincerna; hos increpat; auras
Inuigilate viri, mota flabella cient.
Intentus conuiua vorat, quassatus amicos
Nauta cupit portus, otia pastus amat.
Vtque nisi empta quies, lacerum non naufragus optat
Remigium, vt dubias nauta retentet aquas:
Sic conuiua satur: cibus huic nec crastinus aptus,
Debita ni hesternum est concomitata quies.

QVies est otium, & ab exercitatione vacatio: motui enim opposita est. Est autem quies laboris remedium, vt testatur Hippocrates his verbis: In omni corporis motu, vbi laborare quis cœperit, quies statim lassitudinem aufert. & alibi: Qui morbi ex immoderatis motionibus & laboribus fiunt, quiete curantur, vt quos supinius otium morbos creauit, iis exercitatio & labor remedio est. Ab exercitatione autem quiescendum esse omnes homines & norunt & faciunt, ac ne consilium medicorum quærunt. id verò faciunt, quia, vt optimè Ouidius, Quies quid. aph. 48. sect. 2. Sent. 4. com. 2. in lib. de nat. hum.

Quod caret alterna requie, durabile non est.

Otij autem & quietis vsum & necessitatem, idem explicuit his verbis: Otij vsus.

Hæc reparat vires, fessaque membra nouat.

Nec verò quàm corpori minus est necessaria quies, animo studiis, vigiliis aut curis confecto & defatigato. nam

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis.

Absque otio enim & quiete, animi vigor diu seruari nequit. Adhæc quietem & assiduitatem illam, nullis interpellantibus aliarum rerum curis, multum habere momenti ad inuẽtionem & penitiorem rerum inuestigationem, certissimum est. Eam ob causam veteres musæa sua quammaximè procul ab vrbibus collocabant, & noctem velut amicam intelligentiæ, Euphronem vocabant. Quies etiam à cibo confert, omninoque post cibi sumptionem quiescendum est, ne à motu cibi in stomacho conquassentur, atque corrumpantur: quietis enim tempore alimenta sumpta fundum ventriculi petunt, & resident, aptiusque vniuntur, vẽtriculi os arctius clauditur, qua ratione melior fit ciborum sumptorum digestio. supersedendum autem ab omni motu est, quandiu prima cõ coctio perficitur. Vt verò pituitosis maximè vtilis est exercitatio, & frigidis humidisque naturis, ita calidis & biliosis quies commodior est, vt scribit Hippocrates in Epidemiis. Quę Hippocratis sententia non sic intelligẽda est, vt velit naturæ calidioris homines in totum ab exercitatione abstinere: sed cùm quietem agere calidis naturis suadet Hippocrates, vehementiore motu vti vetat. Ceterùm, calidis & biliosis ideò conuenit quies, quia corpora humectet. Vt enim exercitia sunt apta natura exiccare, ita quies (quæ est, vt suprà diximus, ab exercitatione vacatio) humiditatem seruat. Ideò Hippocrates corpora eorũ qui non facilè per supernas partes purgantur, (siquidem eos ad elleborum ducere volueris) ante potionem cibis, & quiete humectari pręcipit. Et de exercitio quidem ac quiete hactenus.

Quibus vtilis exercitatio: quibus contrà quies cõmodior sit.

aph. 13. sect. 4

H. FRI-

HVGONIS FRIDÆVALLIS SAMPAVLINI, DE SANITATE TVENDA,

LIBER II.

PRÆFATIO.

COMMODE *exercitato corpore, & post exercitationem paululum quiete recreato, adeoq́ ab omni concitatione sedato: si fames cibiq́ appetentia vrgeat, edēdum est. Est autem alimentum prorsus necessariū, ad eius quod è corpore effluxit restaurationem: si enim nihil à corporibus nostris efflueret, nulla foret alimenti necessitas. iam multa sunt, quibus corpus alitur. Alimentorum verò materia, ex iis quæ tellus nobis suggerit herbis, frugibus, arborum fructibus, aut ex animalibus petitur. Horum autem omnium proprietates nosse, ad rem quam hoc opere tractamus pertinet: primùm, vt sani sciant quomodo his vti debeant: deinde, vt etiam ægri, à quibus abstinere debeant, & quibus absque damno vti possint, cognoscant. De iis autem quæ Ceres frugum dea nobis subministrat, hoc libro agere instituimus. Verùm quia ea plurima sunt, necesse nobis fuit librum hunc in sectiones aliquot partiri & diuidere. Prima frumentorum rationem complectetur: altera verò leguminum: tertia olerum naturam explicabit: quarta radicum: quinta fructuum arborum vires exponet & tradet.*

Alimenti necessitas.

Alimētorum materia ex quibus petatur.

LIBRI SECVNDI, SECTIO PRIMA, DE FRVMENTIS.

DE TRITICO, CAP. I.

Iam liber arboribus per aristas ire relictis
Parue potes, vario tempore multa legas.
Prima tibi aëria occurrunt frumenta, maniplos
Excute, sabrusa & grandia grana teras.
Plenius hæc repleāt, fomentaque plura ministrēt:
Nulla magis Cereri grata corona datur.

Frugum duo genera. Frumentum quid. cap. 48. Legumina quæ. cap. 7. lib. 18.

FRugum duo prima sunt genera, frumenta & legumina. Frumētum autem, quod Græcis σῖτος dicitur, est quidquid ex se mittit aristas, & in herba per hiemem est, vt refert Seruius, & Varro lib. 1. de re Rustica. Legumina autem vocantur ea cerealia semina, ex quibus panis non fit. Frumenti vulgatissima genera sunt Plinio, Far, quod Adoreum vocabant, siligo, hordeum, triticum. Dicitur autem Triticum, quasi è spicis tritum. Nonnulli solum triticum, frumentum, & granum ob excellentiā (quod inter ceteros Galli faciunt) vocant: alij hordeum quoque adiungunt. Tria autem summa genera tritici constituuntur: primū robus dicitur, quoniam & pondere & nitore præstet: secunda conditio est siliginis: tertium est trimestre, Græcis σιτάνιον; cuius vsus Agricolis gratissimus inopiæ subsidio, vbi propter aquas, aliámve caúsam, matura satio omissa fuit. Naturam autem tritici explorare docet Gal. lib. 1. de alimentis: aitque non satis esse externam eius superficiem duntaxat contemplari, sed diuidere, & granum confringere oportere. Multa enim quæ extrinsecus flaua & densa visa fuerunt, rara intus, laxa, albaque apparuerunt. Ergo triticum optimum est, plurimūque alimenti habet, quod densum est, totamque suam substantiam adeò compactam habet, vt dentibus vix diuidi queat. tale enim mole exiguum corpus plurimùm alit. Huic verò contrarium, quodque dentibus facilè frangitur, fractumque rarum & laxum apparet, magna mole exiguum reddit alimentum. Triticum porrò omne firmissimi est alimenti,

Tritici summa genera tria.

Natura tritici vt exploranda sit.

Triticū quod optimum.

Triticū quale alimentum.

menti,ſuccūq́; craſſum admodū gignit. Proinde niſi quis ipſum eo quo nunc paratur modo, præparatum exhibeat, ſuccus ex eo gignetur vehementer craſſus ac lentus. Tritico igitur ſimpliciter elixo, non eſt veſcendum, vt in Aſia ruſticos pleroſque eſitare obſeruauit Galenus (nam condiunt id pauco ſale, nec in farinam redigunt) quod enim eo modo eſt paratum, ad coquendum eſt difficile & craſſi ſucci, atque graue prorſus eſt edulium. Ceterùm, Poëta noſter nullam coronam Cereri gratiorem triticea dari poſſe ſcribit; nec id abſque ratione. Ceres enim dea frugum putatur à creando dicta: quæ epitheto peculiari Alma dicitur, quòd nos alat. Vel dicta eſt Ceres, vt refert Tullius, quaſi geres prima dun taxat immutata littera, à gerendis frugibus. De ea ſic cecinit Virgilius:

Ceres cur dicta Alma. lib. 4. de nat. deorum.

Prima Ceres vnco terram dimouit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges.

Vnde Græci eam quoque Θεσμόφορον, id eſt, legumlatricem nuncuparunt.

De farre, cap. 21.

Farra calent nimium ſiccata, his eſca tenacis
Sumpta cibi eſt, mollem ſacchara conficiunt.
Sic ſtomachum & pectus refouebunt: quàm bene dictum eſt,
Sacchara non vllis poſſe nocere cibis.

Far olim generale nomen fuit ad omnia frumenti genera, ita dictum à ferendo, quòd à terra proferatur. ſiue, vt Varroni placet, à faciendo, quòd in piſtrino fieret, id eſt, præpararetur & contunderetur. Dicitur enim triticeum far, item hordeaceum & adoreum. propriè tamen farris nomine certum quoddam frumenti genus intelligendum eſt; quod primùm ab edendo, Edor, deinde murata prima littera, Ador appellatum fuit. A farre autem farinam dictam, vel ipſo nomine conſtat; aut quia adurebatur, & toſtum fieret: ex quo mola ſalſa in ſacrificiis fiebat, & adorea pro laude. Populum Romanum farre tantùm è frumento trecentis an-

Far quid.

Farina vnde dicta.

nis vſum, Verrius tradidit. Columella farris genera quatuor facit: Cluſinum, vermiculum duplex, & trimeſtre, quod etiam Alicaſtrum vocatur. Duo farris genera Gallia alit, vnum rutilo colore, quod agricolæ rubrum frumentum vocant: alterum candidius, quod cluſinum putatur. vtrumque communi vocabulo Barbatum frumentum nominare conſueuerunt. Ceterùm, far, milium, panicum, nonniſi toſta purgari poſſunt. Far boni eſſe ſucci ſcribit Gal. lib. 4. de ſanit. tuend. & tale quod vitioſum humorem in ſtomacho cõtentum emendare poſſit. Lentorem verò eius idem ſcribit corrigi debere, adiectis aceto & porri modico, aliàs obſtructiones parere.

Farris genera

Far quale alimentum.

Quàm bene dictum eſt. In prouerbium iam abiit, quod crebra vſurpatione dicitur, Nullum genus edulij addito ſaccharo, inſipidius reddi. Nullum epulum magnificum iam, ne quotidianus quidem victus placet, ſine ſaccharo.

DE HORDEO, CAP. III.

Sicca gelu parui, modicæ ſunt hordea cœnæ,
Febribus in calidis, pectoribusq́ue pares.
Inflant, occluſæ veſicæ clauſtra relaxant:
Nullus ea adſtricti corporis æger edat.

HOrdeum vulgo notum eſt: eius genera duo, ruſtici tradidere: Hexaſticum, quod quidam Cantherinum appellant, cuius frumentis proximus eſt vſus: alterum diſtichum, quod etiam Galaticum nonnulli nuncupant: tritico miſtum hoc hordei genus egregia cibaria præbet. Ad hoc genus videtur reducendum trimeſtre illud hordeum, quod Galli Securgeon vocant; ita dictum, quòd ſit ſuccurſus (vt ita dicam) gentium. Premente enim annonæ penuria, plebem alit, & à famis noxa vindicat. Hordeum optimum & laudatiſſimum eſt, quod nihil aſcititiæ putredinis, aut redundantis humiditatis contineat; nõ minus recens, vel plus æquo vetuſtum ſit. nam recentiùs ſuperfluo madore, quem ex regione contraxit, fœcundum, plenum humiditate, & flatu refertum eſt. Vetuſtius verò diuturno tempore exhauſtũ, & imbecille fit, ac ſuis deſtituitur viribus. Indicio fuerit cor-

Hordei genera.

Hordeum optimũ quod.

corrugatio huic innata, magnitudinisque eius imminutio, & quod dum frangitur, velut friatum immittat puluerem. Laudatissimum, inquit Gal.li.1.de alim. hordeum est, quod candidum, vbi pinsitum est, apparet, nonnihilque densitatis ac ponderis, quantum hordeo datum est habet. Quodque totum plenum est, & circũscriptionem externam habet tensam, melius est, eo quòd gracile & rugosum existit. Hordeum autem refrigerat & siccat in primo ordine: habet etiã pauxillum absterfionis: tenuem enim, & nonnihil abstersorium succum in nobis gignit. minus autem quàm triticũ alit. Inflationem etiam parit, & stomacho aduersatur: verùm elixatione flatum deponit. Obstructiones vesicæ suæ absterfionis beneficio aperit & reserat hordeum. ad idipsum tamẽ & ad vrinam ciendam efficacior est ptissana ex tritico. Ex hordeo autem paratur ptissana, quæ humectat & abstergit. huius vsus in febribus sitis extinguendæ gratia, & in morbis pectoris. Cuius conficiendi rationem, & vsum docet Hippocrates, lib. de rat. vict. in morb. acutis, Gal. li. de ptissana, & alibi passim. Ceterùm, quod suprà diximus, hordeũ refrigerare & siccare, intelligendum est de hordeo in se generaliter accepto. Hordeum enim iuxta partes suas varias, varias etiam facultates habet. Vtriculorum enim furfuraceorum ratione, & aridius existit, & magis abstergit: quod verò in eo velut carnosum est, atque nutriens, abstergit quidem vel id, sed minus furfure. inest etiam huic aliquid inflationis. altera verò membrana quæ à furfure interna est, hordeũque inuoluit, ipsa mediocris inter hæc viribus est. ideoque abstergit furfure minus, potius autem hordeo. Hordei autem farina aluum sistit.

Hordei vires.

Ptissana ex hordeo fit.

Hordei facultates variæ, pro varietatẽ suarum partium.

DE SPELTA, CAP. IIII.

Spelta venit melior, minimo tepefacta liquore,
Cui tribuunt primos hordea farque gradus.
Mira sed hinc res est, spelta minus hordea prosunt,
Et tamen hæc auidis prima vorantur equis.

QVod Itali Speltam, hoc Græci ζεῖαν, Latini mutuato à Græcis nomine Zeam, & semen à frugis præstan-

Spelta quid.

stantia appellarunt. Tritico simillima est spelta, seu zea. sua verò vniuersa facultate, quodammodo in medio est tritici & hordei. Zea Dioscoridi duorum est generum: vna simplex, altera in geminis putaminibus grana bina gerit: ob idque δίκοκκος appellatur. plus alit quàm hordeum, minus verò quàm triticum: medioque est inter calorem & frigus temperamento. Celebrauit hanc Hesiodus: commendauit quoque Homerus. Mirum quòd Galenus, qui tamen hibernas omnes regiones peragrauit, diligensque fuit supra modum in interrogandis iis, qui eas perlustrassent, nusquam audiuerit, vt ipse testatur lib. de attenuante victus ratione, aliquod esse frumenti genus, quod incolæ Zeam appellarent. Magno certè quondam in honore fuit zea: ex ea enim fiebat Alica præstantissima, quæ nihilominus farri cederet.

Speltæ vires.

Spelta duplex

Quale alimẽtum zea.

Zea Galeno incognita.

Dioscor. cap. 88. lib. 2.

DE PANE FRVMENTACEO, CAP. V.

Debita naturæ tua qui modo charta libelle,
Ars petit emeritam, siste parumper, opem.
Viuimus arte, souet nos omni tempore panis,
Nec sapiunt lautæ, si sine pane, dapes.
Feruet & artificis cura conditus amica,
Fœcundo vincet salgama quæque cibo.
Pituitam fermenta adimunt huic mixta tenacem:
Sed faciles aditus membra ad alenda dabit.
Ars bona, sic geniti sumus vt moriamur, amica
Nos tamen æternum viuere quæris ope.

Ante panis vsum Argiuos pyra esitasse, scribit Aelianus. Athenienses quoque ficos, glandem Arcades, Indi arundinem, Carmani palmulas, milium Sarmatæ, terebinthum, nasturtiumque Persæ, ante panis vsum edisse traduntur. Panis autem vocabulum Varro à Pano duci putat: Messapios, redundantiam & saturitatem Paniam appellasse testatur Athenęus: vnde, vt idem scribit, Latini Panis nomen deflexerunt. Erant enim Pani Eunitæ cognomento Saeri.

Panis nomen vnde.

No-

Nonius verò panem à pascendo nomen habere scribit: vel à dictione Græca πᾶν, id est, omne, quòd commodè pulmentis omnibus adhiberi possit nec vllum opsonium insipidius faciat; immò absque pane insipida omnia videantur. Panum autem differentiæ variæ sunt, vt scribit Plinius cap. 11. li. 18. suæ naturalis historiæ. Aliàs enim ab opsoniis appellantur Ostrearij: aliàs à delitiis, artolagani: aliàs à festinatione, speusici: necnon à coquendi ratione, vt furnacei, vel artoptesij, aut in clibanis cocti. *Panum differentiæ & genera.* Galenus panum differentias è duobus petit, substantia nimirum, & coquendi modo. *lib. 1. de alim.* Differentiæ à substantia sunt quatuor numero: Siligineus omnium purissimus & præstantissimus: Similaceus secundum locum habet: tertium συγκόμιστος, & αὐτόπυρος: postremum est sordidorum genus, in quibus furfuracei, quos πιτυρίας Græci vocant, postremi sunt. Ex coquendi modo panes dicuntur, clibanitæ, omnium optimi; ἰπνῖται qui secundum locū habent. Qui super craticulã, aut cineres calidos, aut foci pauimentũ assantur, omnes praui sunt. In panum porrò genere, concoctu sunt ij facillimi, qui plurimùm sunt fermentati, & pulcherrimè subacti, quique in clibano moderatè cocti sunt, atque qui salis aliquid habent. *Panes qui cõcoctu facillimi.* pessimi sunt, quibus nihil horum adest. Qui enim fermento omninò carent, quos ἀζύμους Græci vocant, nemini prorsus conueniunt. Succus enim ex iis crassus & frigidus gignitur, quem crudum Galenus, medicique reliqui omnes propriè nominare consueuerunt. Fermentum autem tenuium est partium, mediocriterque tum calet tum digerit, ipsum alioqui ex contrariis viribus consistens. *Fermenti vires.* Particeps enim est cuiusdam aciditatis frigidæ, & caliditatis ex putredine natæ, cui accedit ea quæ ex sale & farina est. proinde sine molestia quæ in profundo sunt, tum extrahit, tum digerit. Caueat ergo pistor, ne plus minúsve fermenti, quàm decet, imponat: ex illo enim panis acorem concipit: ex hoc grauior fit in concoctione, & insalubrior. In vniuersum autem panis bene coctus, & non eiusdem diei, neque ex tritico nouo, commodè nutrit. Placentæ autem & cetera quæ ex farina triticea parantur edulliotum genera, crassi sunt succi, ventrem cohibent, & crudos succos gignunt. Celsus ex frumentis panificia omnia, generis alimentorum valentissimi esse tradit. *cap. 18. lib. 2.* Id autem valentissimum voco (inquit ille) in quo plurimum alimenti est.

De pane non frumentaceo. Cap. VI.

Quid sapiant alij, velles si vendere, panes,
Pistor, ab inscriptis quære leguminibus.

Fiunt nonnunquam ex hordeo, milio, auena, panico, aliisque similibus leguminibus panes, in tritici duntaxat penuria. Hi autem omnes cùm inferiores sint panibus, qui ex farina triticea parantur, etiam prauum succum gignunt, talemque, qualia sunt legumina ipsa ex quibus cõficiuntur.

LIBRI SECVNDI, SECTIO SECVNDA, DE LEGVMINIBVS.

Legumina appellantur ea Cerealia semina, ex quibus panis non fit: qualia sunt fabæ, pisa, cicera, lentes, & si qua sunt similia. Dicuntur autem legumina, à legendo, quòd manu legantur, ceu colligantur. Legumina autem in vniuersum omnia, Hippocrate teste, flatuosa sunt, & cruda & cocta, atque quouis etiam modo parata: minus autem vel macerata vel viridia. his autem vtendum non est, nisi cum aliis cibariis: sed horum singula suum vitium habent. Quã sententiam exponens Galenus, ait, Legumina omnia ventrẽ implent, coctuque difficillima sunt, quæ cruda existunt: fricta, flatuosa minus, sed concoctioni non minus resistunt. quæ autem plurimùm cocta sunt, ea existunt moderatiora. Sed quæ sit singulorum facultas, particularius videamus.

Legumina omnia flatuosa com. 4. in lib. de rat. vict. acut. text. 92.

De cicere, cap. I.

Feruet & arescit cicer omne; sed ignea vincunt
Subnigra, pulmoni prima alimenta tuo.
Hæc reduci formæ, & vocum concentibus apta,
Si data sint, mensis inter vtrasque tibi.

Cortice

Cortice non posito, renes, iecur, atque lienem,
Vesicamque fouent, & Venerem faciunt.
Hæc bona sunt, turgent, sed aquosa virentia. Tusci
Cur tamen in primis ortibus ista vorant?

CIcerum plures sint differentiæ: genus vnum nigrum est & paruum: illudque, quòd arietino capiti sit simile, Arietinum nuncupatur. Est genus alterum candidum, quod etiam Columbinum appellatur, rotundum & leue. est & rufum genus, quod Venereum vocatur. Calida his omnibus vis inest. facultatem quoque absterforiam habent, qua vocem clariorem reddunt: pectori eorum iusculum prodest, faciei nitorem procurant, calculos in renibus existentes comminuunt, & maximè nigra, quæ Orobiæa etiam nuncupantur. Ea enim reliquis calidiora sunt, & subamara. Renes quoque & vesicam purgant, splenis quoque & hepatis obstructiones aperiunt. Lacti & semini generando accommoda sunt, & Venerem excitare creduntur. vnde admissariis equis nonnulli cicer in edulium exhibent, vt ex cibatu roborati Veneri superfint. Cicer copiosum præbet corpori alimentum; sed flatuosum est. Plerique iam ciceribus vtuntur adhuc viridibus antequàm matura sint, vt fabis & pisis.

Cicerum differentiæ.

Cicerum vires

Quale alimẽtum cicer.

De cicercvla, cap. II.

Ex tumidos auget magis vda Cicercula ventres,
Et stomachum calido dura minore grauat.
Si cicer hanc vincit, non his est æqua potestas,
Sic cedunt dominis infima quæque suis.

CIcercula est minuti ciceris species, inæquales angulos habens, velut pisum: Eruo autem ferè similis est. Easdem autem cum cicere vires habet: vel potius, vt Galenus scribit, eruiliis & phaselis succum facultate consimilem, sed consistentia crassiorem gignit.

Cicercula quid.

DE PISIS, CAP. III.

Sub cane sicca parum frigentia Pisa parabunt
Cortice deposito pabula sana tibi.
Sed melius sapient, si dulcis amygdala succum
Præstiterit, mira sic iubet arte gula.

Dioscoridi ignota fuerũt pisa.

Mirum est Dioscoridem tam vulgaris tritique leguminis non meminisse. Pisa autem tota sua substantia cum fabis quandam habent similitudinem, eodemque modo sumuntur. his tamen duabus rebus ab eis discrepant, tum quòd non ita sint, vt fabæ, flatulenta; tum etiam quòd detergendi facultatem non habeant: ideoque segnius, quàm illa, per aluum secedunt.

DE FABIS, CAP. IIII.

Vda prius, faba mox fit terrea, turgida semper
Est tamen, & poterit somnia ferre mala.
Fresa minus nocua est, crassos parit illa liquores,
Albentem intactam gurgulione legas.
Pectoribus fluidæque aluo vix commoda, ventri
Et capiti est morbus, dedita testiculis.
Hanc pipere, & celebri poteram condire culina.
Vendicat hanc vilis sed sibi rusticitas.

Fabarum temperamentum.

Fabarum alimentũ quale.

Fabæ inter legumina maximus honos habetur: quippe ex qua & panis, & lomentum fiat in sacrificiis. Fabæ mediæ sunt calidi frigidique naturæ. non multùm quoque absunt à temperamento desiccante & infrigidante. Habent autem substantiam non densam nec grauem, sed fungosam ac leuem, quæ vim quãdam detergendi habet. Quæ recentes & immaturæ eduntur fabæ, multum humidi nutrimenti gignunt, & ob id maiorem superfluitatum copiam, non in nutritiuis modò partibus, sed generatim in toto corpore. Fabæ autem inflationem excitant, & ægrè concoquuntur. quin & quantumuis coctæ fuerint, & quouis modo paratæ, flatu-

flatulentus tamen perpetuò erit cibus. Quæ etiam causa est turbulentorum somniorum, quæ ipsarum vsus parit. Eam enim vnicam ob causam Pythagorica sententia damnatæ sunt; & quòd in earum flore lugubres litteræ reperiantur. Magi quoque animas mortuorum in iis residere tradiderunt. Fabas autem excitare turbulenta somnia testatur Tullius, libro primo De diuinatione, his verbis: Iubet igitur Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis, vt nihil sit quod errorem animis perturbationemque afferat: ex quo etiam Pythagoræis interdictum putatur, ne faba vescerētur: quæ res inflationem magnam habet. Is cibus tranquillitatem mentis quærentibus, constat esse contrarius. Abstinuisse autem à fabis Pythagoram, vetus opinio inualuit: quæ tamen omninò falsa est. Aristoxenus enim Aristotelis auditor, nullo legumento sæpius vsum Pythagoram scribit, quàm fabis; quòd is cibus & aluum sensim subduceret, & læuigaret. Pythagoræ autem dictum ita interpretatum volunt, vt non fabam, sed rei Venereę proluuium detestetur. Opertè enim & συμβολικῶς Pythagoreo more testiculos κυάμους appellatos, quòd sint εἰς τὸ κυεῖν δεῖνοι, καὶ αἴτιοι τοῦ κυεῖν. Nonnulli autem fabas inflare sentientes, inquit Galenus, cepas admiscent cùm pultem in patinis ex ipsis struunt. Ferculum autem ex faba fresa paratum, quòd ἔτνος Græci nominant, flatu & id quoque non vacat. immò verò maiorem faba integra distentionem creat. Fricta quidem flatum deponit; verùm contumax coctioni minus cedit, tardiusque descendens, crassius alimentum in corpus effundit. Quidam vt incommodum quod flatus ratione fabæ gignunt, effugiant, cepas crudas, nec simul elixas cum ipsis mandunt. Aromatibus etiam conspersæ, minus lædere creduntur. In vniuersum autem flatuosi omnes cibi corrigendi sunt, cum iis quæ calefacientis & exiccantis sunt facultatis. Ceterùm, faba fresa cum allio cocta, contra deploratas tusses, suppurationesque pectorum, quotidiano cibo sumitur. cum suo verò cortice esitata, dysenterias, cœliacorumque profluuia sistit, vomitumque sedat.

Fabas somnia turbulenta facere; ob idque sententia Pythagorica damnatas.

Magi.

Tullius.

Falsum Pythagoram à fabis abstinuisse.

Aristoxenus.

Flatum fabarum quæ corrigant, ex lib. 1. de alim.

Faba fresa eiusque vsus.

De phaselis, sev phaseolis.

CAP. V.

Dum calet arenti & tibi manditur ore phaselus,
Mox facit infirmo turgida membra cibo.

Si rubet, est melior, muliebria fortius effert:
Hanc fuge, si placidæ somnia noctis amas.
Si pipere & mulso faciat coquus arte salubrem,
Dic mihi, naturæ seruit, an iste gulæ?

Phaseolorum natura.

PHaseoli mediam quodammodo naturam habent; inter ea quæ boni & praui succi sunt, concoctu facilia aut difficilia, tardè & celeriter transeuntia, parum & multum alentia. nec enim vllam efficacem qualitatem habent. In ceteris fabis, aut pisis, aut cicerculis similes sunt. nam & grauia turbulentaque somnia inducunt, crassosque succos gignũt. Nonnulli phaselum eundem cum cicercula esse dicunt; alij ipsius speciem. In Italia autem phaseoli vulgares sunt, & ij diuersarum specierum. Sunt enim candidi, rubescentes, fului, nigri, & è diuersis coloribus variegati. Candidi autem verè phaseoli dicendi sunt. reliqui enim Dolichi, & Smilaces læues seu satiuæ à doctis nuncupantur. Phaselorum autem flatus & reliqua (si qua inest) malignitas calidis aromaticis emendari potest, etsi ab eorum esu merum bibatur.

Phaseli in Italia vulgares

DE LENTE, CAP. VI.

Aluus ab igne leui Lentis siccata tumescit.
Ordea si reddant, dic Medice innocuam.
Illa melancholicos, neruis inimica & ocellis,
Nec satis est, morbos, somnia dura mouet.
Scilicet extollat Pelusia munera Nilus,
Dulcia si addideris, Toxica dira facis.

Lens vnde dicta. cap. 12. li. 18.

LEns dicta putatur à dictione Lenis, quòd qui ea vescũtur, lenes ac moderati fiant. Vnde Plinius: Inuenio, inquit, apud veteres auctores, æquanimitatem fieri vescentibus lente. Lens autem leguminum fertilissima existimatur. Duo eius genera in Aegypto: alterum rotundius nigriusque, alterum sua figura, vnde vario vsu translatum est in Lenticulas nomen. Iuxta Pelusium autem lens optima nascitur. vnde Virg. in Georg.

Lentis genera duo.

Lens Pelusiaca.

Nec

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

Est autem Pelusium, oppidum in extrema Aegypti ora, qua Casiotidi contermina est: à quo & extremum Nili ostium, quo Aegyptus ab Asia terminatur, Pelusium seu Pelusiacum dictum est. Lentes autem valenter adstringere, mediasque esse inter caliditatem & frigiditatem: in secundo tamen ordine desiccare, scribit Galenus: Nemo, inquit, ex lentibus panem facit. Aridæ enim sunt, & friabiles, corticemque habent astringentem: & quæ ipsorum est velut caro, crassi est succi ac terrei, austeram qualitatem habens exiguam, cuius cortex multæ est particeps. succus porrò ipsis inest adstringenti contrarius. Quocirca si quis in aqua ipsas coxerit, & deinde aquam, sale aut garo, aut cum ipsis oleo condiens, sumpserit, potus is aluum deiicit. At ex his decoctis lentibus, ad eum modum quem retulimus lens apparata, facultatem habet succo contrariam; vt quæ ventris fluxus siccet, stomachum, intestina, & totum denique ventrem corroboret. quam ob rem cæliacis & dysentericis cibus est accommodus. Lens verò decorticata, vt illam astringendi vehementiam, & ea quæ ipsam consequuntur, amittit, ita magis alit, quàm quæ cortice spoliata non est. Succum crassum prauumque gignit, tardeque commeat; non tamen alui fluxus desiccat, vt ea cui cortex ademptus non est. Hæc Galeni verba ideò in locum hunc transtuli, & de verbo ad verbum transcripsi, quòd Dioscoridi Galenus ex diametro in eo repugnet. Sic enim Dioscorides: Lens vim astringendi habet: qua ex causa aluum cohibet, si detracto antea cortice disco quatur accuratè, primaque aqua inter coquendum effundatur. quippe prius illud decoctum ventrem soluit. Magna vtriusque auctoritas: Galeni tamen ex parte stare malo, aliis liberum iudicandi de vtriusque sententia relinquens iudicium. Lentes igitur, vt modò ex Galeno diximus, vitiosum, crassum & melancholicum succum gignunt: ideoque qui largius hoc edulio vtuntur, elephantiasim, quam vocant, & cancros incurrunt. Crassa enim siccaque cibaria, succo melancholico generando sunt idonea. Non est itaque his copiosius vtendum: maximè verò si cui corpus sit melancholicum, aut crasso vel prauo succo abundet. Lentes cerebro nocent, & frequenti cibo oculorum aciem obtundunt, morbos ab atra bile, succóve melancholico gignunt: somniáque turbulenta & tumultuosa facit: iuxta illud Hippocratis:

Pelusium.

Lentium facultas & natura.

Galenus à Dioscoride dissentit in lentis facultate.

Lens quale alimentum.

Comm.4. in lib. de rat. vict. acut.

tis: Lens adstringit, & turbationem facit, si non detracto cortice ingeratur.

De oryza, cap. VII.

Cùm tepeat ventrem retinens, & amygdala iugi
Lacte vel exposcat, siccat Oryza magis.
Sic pulmenta feret tibi plurima; si tamen infiat,
Nequitiæ poterit promptior esse tuæ.
Sed moneo, patinas vexat diuturna calentes:
Siste parum Veneri, fiet & apta gulæ.

Oryzæ facultas, & eius coquendæ ratio

ORyza quiddam habet acerbescens, qua ratione vẽtrem mediocriter cohibet, mediocriter quoque alit. Conficiunt nonnulli oryzam cum amygdalis, & lacte saccharoq; condiunt: ita nimirum plus alet, & genituram adaugebit. Variam autem parandæ oryzæ rationem lege apud Platinam, cap. 13. lib. 7. de honesta voluptate.

De milio et panico, cap. VIII.

Sunt ieiuna, aluum durantia, grata dolori,
Si Milia ignitis sint prius vsta focis.
Lactè incocta fouent, molli vel musta liquore
Plenius, at cœnæ tarda tenacis erunt.
Panici vberior leuioris mensa superbit.
Sæpius exiguis cedere magna solent.

Milij & panici qualitas.

MIlium & panicum frigida sunt & sicca, atque parum alunt & ventrem cohibent. Milium verò pra stantius est panico. minus autem alunt duo hæc quouis frumẽti genere. sed nihil suauitatis etiam iis inest, præsertim verò panico: est enim insuauius est, concoctu difficilius, ventremque multò magis firmans. Ponticæ tamen gentes nullum panico cibum præferunt. Ventris fluxiones hæc sistunt,

Facultas & vires.

& aluum humentem desiccant, præsertim cùm, vt mox diximus;

ximus, nihil lentoris habeant, neque pinguedinis. Torretur milium feruensque in sacco ponitur, ad exiccandum, & vt torminibus, reliquisque doloribus, si foueatur, auxilio sit. ad idem est etiam vtile panicum. Ceterùm, rustici antiquitus milij farinam lacti permistam edebant. Quin & Matthiolus, vir hac ætate longè doctissimus, & Dioscoridis accuratus fidusque interpres, refert hoc nostro seculo Carbonarios in valle Anania, tanto labori sufficere, cibo qui è milij farina & lacte conficitur. Alij farina milij cocta, admisto adipe suillo & oleo vescuntur. Matthiolus.

De lvpino, cap. IX.

Siccior ardescit rudis incultusque Lupinus,
Hic conuiua tibi rustice durus eat.
Lumbricis mors est, pleno iecori, atque lieni,
Et præsentis opis renibus esse solet.
Gratia sit natura tibi: si villicus illum
Non colit, ipse sua est tutus amaritie.

Lvpinus neglecta gaudet humo, nec enim coli desiderat, immò verò culturam omnino reformidat. Lupino inest vis calida & sicca. Is aqua dulci maceratus, tantisper dum omnem exuerit insuauitatem sibi ingenitam, & elixus, saleque mediocri conditus, homini in cibo est. Eius verò dura est & terrestris substantia; quo fit, vt & concoctu difficilis sit, succumque crassum gignat. Lupinorum decoctorum succus cum ruta & pipere, vel in febre datur maioribus natu, ad ventris animalia pellenda: pueris verò tritos ieiunis cataplasmatis modo ventri imposuisse satis est. Alio quoque modo tosti & in defruto poti, vel ex melle sumuntur. Oppilationem autem seu obstructionem omnem reserant, aperiuntque lupini: ipsaque viscera expurgant. Radix eorum cum aqua cocta vrinam mouet.

Lupinus insuauis est.

Lupini alimentum.

Lupini lumbricis aduersantur, eosque necant.

De vicia, lolio et avena. cap. X.

His viciam, lolia, & poteram committere auenas,
Pluraque quæ nullo terra serente parit.

Segnia sunt, cultu nec carmine digna, nec horto,
Quumque renascentur, nulla ea mensa volet.

Vicia. IN reliquorum leguminum penuria, & vrgente fame vicia estur; maximè verò tum cùm siliquas egit. Verùm à seminibus, vt quę cõtumacia sint, stomachus abhorret: Mãsa tamen aluum firmãt, noxium autem crassumque succum & bili atræ gignendæ satis idoneum creant. Lolium. Lolium calefacit & siccat in tertio ferè ordine. oculis nocet propter vapores acres, quos in cerebrum mittit: vnde Lolio victitare dicuntur, qui visu sunt imbecillo. Auena. Auena autem similem hordeo vim habet. desiccat enim, & mediocriter sine mordicatione digerit, astringit quoque nonnihil. hæc autem pecorum magis quàm hominum pabulum sunt: nec nisi premente fame, & summa aliorum leguminũ penuria in vsum hominum veniunt. nam panis qui ex his conficitur, admodum insuauis est, parum alit, prauumque succum gignit. Habent autem suum in medicina vsum, quem tractare huius non est instituti.

De cvcvrbita, cap. XI.

Succi aqui, cursus rapidique cucurbita, bilem
Vincit, & Iliacum, non benè cocta, ciet.
Quàm benè grata tamen, cuicũq; admixta secundat.
Huic externa magis quàm sua forma placet.

CVcurbita humidæ est & refrigerantis substantiæ; idq; in secundo ordine. In esu humida est, sitimque propellit. Cucurbitæ alimentum. Cruda cucurbita insuauis est, atque stomachum, teste Galeno, lædit. concoctu enim difficillima existit, adeò vt si quis alterius cibi inopia, cucurbitam mandere coactus fuerit, pondus frigidum ventriculo incumbere sentiet, stomachumque euertet, & ad vomendum excitabit, intestina etiã afficiet. Cucurbita coctura multos modos admittit. Cucurbita autem nusquam minus placet, quàm quũ in forma sua, id est, cruda manditur. Multos verò apparandi modos, nullam euidentem habens saporis qualitatem admittit, vt quæ in medio sit omnis excessus, ob idque ad quẽuis excessum facilè duci potest. Gaudet verò maximè origano,

gando, ob sibi innatam aqueam qualitatem. Quæque eius naturæ sunt omnia, succis acribus, acidis, austerisque, aut salsis admisceri postulant, si modò in cibo suauia futura sint, & iis qui vsi fuerint, nauseam non paritura. Rationem autem variam parandæ in cibum cucurbitæ, pete ex Platina.

DE CVCVMERE ET CITRVLLO, CAP. XII.

Grandior exoritur cucumis sitientibus ægris
Humidior, paruo vix tepet iste gelu.
Sordibus hic patulos reddit quoscunque meatus:
Sæpè venenatæ sed dapis esse solet.
Sic nocet humescēs cucumis, gelidusque citrullus,
Vt tremuli ardores cordis odore leuet.
Ne diuturna tamen sit concomitata, caueto,
Febris, in assiduos si datur esca cibos.
Hic bilem subigitque sitim, stomachoque calenti
Gratus erit, medici si sapit arte coqui.

GRæci cucumeres, melones & citrios vno peponis nomine comprehendunt. Theophrastus cucumeris tria fecit genera, vnum Laconicum vocat, Scytalium alterum, tertium Bœoticum. Platina quoque cucumeris genus triplex statuit; Maius vnum liuidum, alterum citrinum, quod nostrates à colore citrullum vocant: & tertium anguineum omnium nocentissimum. Est & siluestre cucumeris genus, quod Asininum nuncupatur: huius succum Græci ἐλατήριον vocant. Citrullus autem videtur cucurbitæ genus esse, quod vulgus Cucurbitas Turcicas appellauit. Cucumis autem esculentus subuiridis est, refrigeratque & humectat in secūdo ordine. Cucurbita autem horrores concitat: bilem enim creat, vt refert Diphilus. Prauus enim succus ex ipsis post longum tempus in venis colligitur, qui posteà exiguam ad putredinem occasionem nactus, febres malignas accendit. hæc fermè præstat etiam citrullus: frigida enim & aquea quoque est illius substantia.

Cucumeris triplex genus. Theophrastus. Platina. Elaterium. Cucurbita horrores concitat.

De pepone, cap. XIII.

Quarta tua est sedes, poteras sed primus haberi,
Cum tepeas dulci grate liquore pepo.
Vesicam & ventrem reseras, sed prauius ito,
Ne tumidus noceas posteriore cibo.
Quæ grauior tibi noxa tamen, vel perdita sedes,
Vel tibi quòd medici plurima vina negent.

Pepones cur ita dicti.

Pepones succrini.

Albinus imperator.

Peponum natura.

Gentiles sunt cucumeribus pepones. Qui enim ex cucumerum genere mites ac teneri maturitate flaccescunt, pepones à maturitate ducto nomine dici voluerunt. Sunt & qui melopepones appellantur, in Campania primū geniti. Estur pepo cùm maturuit, magna stomachi voluptate. Genus vnum à dulcedine, quam gustui repræsentat; vulgus succrinos, quasi saccharinos appellat. Hoc fructu Albinus imperator adeò delectatus est, vt centum Persica Campana, & decem pepones Ostienses vna cœna comederit. Peponum autem vniuersa natura frigidior est cum humiditate coniũcta: habent etiam vim quandam abstergendi, cuius beneficio vrinam cient, & expeditiùs deorsum permeant. Semen verò vehementiùs vrinam mouet, ita vt concretos in renibus calculos deturbet. Pepones autem repurgato probè stomacho edendi sunt. Cùm enim succum vitiosum ex se gignant, facillimè in eos humores, quos haberet stomachus, conuerteretur: nam tardius concoquuntur. Viuunt enim in posterum diem, nec perfici queunt, tanta eis inest frigiditas. Quo casu cholerę morbo obnoxios, ipso attestante Galeno, efficere, largiusque sumptus, vomitum excitare consueuit. Porrò à peponis esu censerim ego vinum vel generosissimum bibendum esse: quod quasi antidotum est contra peponis frigiditatem & rigorem.

Pepones repurgato stomacho edendi sunt.

LIBRI SECVNDI, SECTIO TERTIA, DE OLERIBVS.

Olera quæ & vnde.

Olera dicuntur herbæ omnes satiuæ, quæ in vsu cibario sunt. Ab alendo autem nomen acceperunt, quòd oleribus homines, antequàm fruges repertæ essent, alerētur.

Sigilla-

Sigillatim igitur & ordine olerum seu herbarum omnium in alendo vires exponēdæ modò sunt, sumpto à lactuca initio. Multi enim olus hoc aliis omnibus (vt fructibus autumnalibus ficus) anteposuerunt.

De lactvca, cap. I.

Caumate in ardentis stomachi lactuca niuale
Delicium, & somni dulcis alumna veni.
Si modò sit mundus cultor, non lota placebis:
Et prima & grata est mensa secunda tua.
Gratior æstiuo es dum Sirius æstuat orbe:
Sed valeas, si vult gaudia nostra Venus.

Lactuca frigidum & humidum est olus. Galenus lactuca se vsum in cibo cùm iuuenis esset, scribit, ad refrigerandum ventriculum, qui bile assiduè infestabatur: eandem verò illi aduersus insomniam & vigilias fuisse remedio, cùm ad ætatem declinantem peruenisset. Tum enim contra ac in iuuentute, somnum sibi dedita opera conciliabat, cùm vigiliæ illi non parum molestæ essent. Aestate aut in æstuosis laboribus, ad refrigerandam & humectandam corporis siccitatem, lactucam edere vtile est, quæ tum innoxia est, tū etiam refrigerandi vires habet. Ea verò succi est olerum omnium laudabilioris: quæ non lota in cibo dissolutum stomachum firmat. Porro lactucæ semen epotum assiduas libidinum imaginationes in somno compescit, & Veneri refragatur, quin & genituræ profusionem cohibet. Vnde Pythagorici Eunuchion eam appellauere, sicut & mulieres Astylida. Quam ob causam Eubolus graui conuitio coniugem incessebat, quæ mensis lactucā obtulisset; simul quòd hac emarcescit coeundi facultas, simul quòd emortuum Adonim sub hac abdidisse fertur Venus, ideoque feralibus epulis dicata. Veteres eam ob causam lactuca ob religionem minimè vescebantur.

Lactucæ natura. Galenus.

Lactuca cur Eunuchion dicta à Pythagoricis. Eubolus.

De intybis, cap. II.

Frigida campestris minus est & amarior, hepar
Intyba demulcens, bilis vtramque timet.

Intybus duplex.

QVos intybos Romani appellant, veteres Athenienses Seres nominabant: & vt Græci Serim, ita Latini Intybum in duo genera digesserunt, nimirum satiuum & siluestre. Intyba autem similem lactucis facultatē habent: ab eis tamen cibi iucunditate relinquuntur. Ardores stomachi refrigerant, hepati & renibus prosunt, bilemq; tum digerunt, illius feruorem & acrimoniam restinguendo, tum etiam euacuant.

De malva, cap. III.

Malua agrestis.

MAlua lentoris aliquid habet, quod lactucę non inest, nec refrigerat vt lactuca, sed calorem quendam moderatum ac tepidum habet. facilè subducitur, sed mediocriter nutrit. Malua agrestis leuiter mollit & discutit, hortensis verò quò magis aqueum humorem sortita est, eò imbecillior redditur. Malua obstructum hepar aperit, & multo magis si cum sinapi, aut saltem cum aceto mandatur: lienosis etiam eodem modo sumpta, vtile est medicamentum.

De beta, cap. IIII.

Beta mala est stomacho, viridis vel nigra, niuali
Rore, caput mundat naribus hausta tuum.
Compar eat maluis, clysteri immixta dolores
Quos tibi mansa facit, perdere beta potest.

Betæ genus duplex.

BEtæ duo genera à colore petuntur, nigra scilicet quędā est, alia verò cādida, quæ abstergēdo & discutiendo potētior est. Inest autē betæ nitrosa quædam facultas, quæ abstergit & discutit: ideoque clysteribus indita, ventrem ad excernendum proritat, & in nares immissus ipsius succus caput purgat. Mansa verò beta stomachum interdum mordicat, iis potissimùm quibus natura sensu exactiore est præditus: propterea inter edulia stomacho infesta connumeratur.

De brassica, cap. V.

Iam veniat folio Chrysippica Brassica crispo,
Vel patulo & leni, vel glomerata comas:

Prima

Prima salutifera, & ventrem lenire parata,
Bullierit modico si tamen igne, placet.
Omnibus ardor inest, grauior tumet esca secundis,
Ne capiti noceant, vina superba premunt.
Extumidam reserant vesicam, ægrumque lienem,
Hepar & obstrusum, fœmineumque femur.
Arida Socraticam pareret ni braßica bilem,
Iure erat in morbis omnibus illa satis.

THeophrastus Brassicæ tria genera fecit, siluestre, læue & crispum. Athenæus quoque brassicam genere tripli- ci distinxit; primum halmyris dicitur: secundum à foliorũ læuitate, λειοφύλλος: tertium selinusia, à foliorum crispitudine, & cum apij foliis similitudine appellatur. Cato triplex etiam genus constituit: vnum grandibus & latis foliis, caule magno: alterum crispo folio, quam à similitudine apij, selinoidem, id est, apianam vocat: tertiam propriè vocatam crambem minutis caulibus, tenuioribus foliis, distinguit, læuem, teneram, succo tenui, acerrimam autem omnium & medicamentosiorem, quæ læuis dici solet. Tertij autem illius generis brassicæ Tritianæ & Lacuturres à Plinio vocantur. Vulgaris sermo noster, vt verisimile fit, eas capucos, coles, vel potius cabutos, quasi capitulatos appellat, quoniam in capitis formam extuberant. Dioscorides, Galenus & Aegineta illi brassicæ quæ vescendo est, adiecere siluestrem & marinam. Brassica non percocta aluum soluit, percocta autem aut bis cocta sistit. & verò succus brassicæ facultatẽ purgantem habet: reliquum verò corpus, scilicet terrestre sistit. Ipsa quoque brassica exiccat æquè atque lens, absque tamen insigni acrimonia. Tradunt nonnulli, si quis liberaliori vini potu in cœna vsurus sit, præsumptam in cibis brassicam crudam ex aceto, ebrietatem arcere: sed & posteà sumpta, ebrietatis & crapulæ vitia discutit, & vini noxam restinguit. Expertum sæpius est, brassicæ paululum decoctæ, ita vt subcruda sit, iusculum ad eos valere, quibus ægrè lotium secedit, aut stillatim excernitur. Cyma verò eius acrior est, & ad quiduis valentior. In summa, Cato brassicam ita celebrauit, vt sola morbis omnibus videatur esse satis. Prodesse enim ca-

Brassicæ genera.

Brassicæ facultates.

Cato.

pitis doloribus tradit, oculorum caligini, ſcintillationibus; item ſi atra bilis vrget, ſi lienes turgent, ſi cor dolet, aut ſi iecur, aut pulmones, aut præcordia malè affecta ſint.

DE ATRIPLICE, BLITO, ET SPINACHIA, CAP. VI.

Blitum olus eſt eſculentum humidæ frigidæque temperaturæ: in ſecundo maximè exceſſu à temperatis ventri leniter ſubducendo, idoneum eſt alimentum, nullius autem aut certè perexigui eſt in medicina vſus & momenti. Atriplex verò, quod à Dioſcoride non ſatis in eo cum Plinio conſentiente, Chryſolachanum nuncupatur, ſecundo ordine humectat, & primo refrigerat. nulli⁹ aſtrictionis eſt particeps, ſed aquea eſt, aluoque facilè ſecedit. Platina exiſtimat Atriplicem illud oleris genus eſſe, quod ruſtici ſpinachium, ſeu ſpinachiam vocant. de qua ſic noſter Poëta cecinit:

Si leuioris edas brumæ ſpinachia, primum
Eÿce ius, ſucco & dilue amygdaleo.
Sic ſtomacho minus inuiſa, & præcordia & aluũ
Mulcet, clamoſis commoda pleuriacis.

De Spinachia antiqui nihil, quod equidem legerim, ſcriptis tradiderunt. quando verò ab Atriplicis natura non multum recedere videtur olus hoc, ſpinachiam eandem cum atriplice, Platinam ſecuti, faciemus. vtriuſque enim eædem propemodum ſunt vires, tum in cibo, tum etiam in medicina. Aluum emollit ſpinachia, primæ humidorum & refrigerantium claſſis. melius & præſtantius alimentũ ſuggerit, quàm atriplex; ſed aluo parum hærens facilè exigitur. Citra aquam coqui debet ſpinachia, quòd magnam humoris vim inter coquendum emittat, & veluti ſuo contenta liquore, alienum aſpernetur. Noſtrates ſpinachiam decoctam, vt modò diximus, patinis in oleo vel butyro frigunt, addito, quo palato ſit gratior, omphacio. Ceterùm, calidum hepar refrigerat, & bilem incenſam ſpinachia reprimit.

Spinachiæ alimentum, & eius in cibum parandæ ratio.

DE PORTVLACA, CAP. VII.

Cui rubor eſt ardens, dyſenteriaque laborat,
Purpureus curæ cui cruor eſt fluidus;

Cui nocuere ignes, frigentem hic Peplidis herbam
Deligat; haec pluuio rore probanda venit.
Si sapis, illa tuas norit rarissima mensas,
Lumina cum stomacho contemerasse potest.

Portulaca frigida & aquea temperie est, paucæ particeps austeritatis. proinde fluxiones, & máximè biliosas & calidas sistit, & alterat, sua refrigerandi facultate. Quoniam autē restringit, vtiliter à dysentericis editur, muliebri quoque profluuio, & sanguinis reiectionibus confert. sed ad hęc succus est quàm herba multò efficacior. stomachi quoque & intestinorum æstuationem mulcet. Crediderim tamen in cibo frequentiore, & in vsu eius immodico, stomacho nocere: nonnulli oculos etiam hebetare tradiderunt. Ceterùm, portulacæ etiam vnum genus est siluestre, quod à Dioscoride Peplis, ab Hippocrate & Plinio Peplion appellatur. Peplis. Peplion.

DE LAPATHO ET OXYLAPATHO, CAP. VIII.

Lapathum betam agrestam nonnulli appellarunt. Moderatè digerentem sortitum est facultatem: oxylapathum autem mistam. nam cum eo quod digerit, nonnihil quoque repercutit. Semen eorum manifestam quoque adstrictionem quãdam obtinet, vt & dysenterias & diarrhœas siue alui profluuia sanet, præsertim verò oxylapathi.

DE APIO ET PETROSELINO, CAP. IX.

Torrentis plures apij seris inscie plantas
Villice, petrosum vix mea mensa capit.
Et nocuum hoc capiti, & stomacho minus vtile
Lactucæ extremo si placet adde cibo. (tardo,
Cura caput nobis prior est; quę̃ phlegmata vexãt,
Splen, femur, aut renes, vel iecur illud edat.

Eleoselinum, oreoselinum, petroselinum, hipposelinũ, apij, quod σέλινον Græci vocant, species seu differentiæ Apij genera.

 sunt.

sunt. Apium autem domesticum antiquorum, vulgare nostrum petroselinum esse traditur. Stomacho apium & suaue & gratum esse, contrà quàm noster hic Poëta sentit, Galenus scribit lib. 1. de aliment. facult. Apium vsque adeò calidum est, vt & vrinas, & menses cieat. Vrinæ enim difficultati remedio est. menstrua & secundos partus educit, capitis dolori medetur. Succus algenti propinatus, exoptatum calorē per membra diffundit. Apium autem in cibum admittere, olim nephas existimabatur; quoniam defunctorum epulis fetalibus dicatum erat: &, vt Plutarchus testatur, coronabātur apio sepulcra. Inde vetus illud prouerbium, Indigere apio, de iis qui aduersa valetudine fruuntur. Iam vulgatissimus est petroselini in condimentis & acetariis vsus. Potissimum verò iis quæ ex lactuca parantur acetariis, petroselinum admisceri solet. Cùm enim insipida sit, succumque præterea habeat frigidum ipsa lactuca, non modò suauior, sed etiam vtilior redditur, petroselino, aut alio aliquo acrium olerum addito.

Apium edere nephas. Plutarchus.

Indigere apio

De sio, cap. x.

Cœna paludosis quod natum & crescat in vndis,
Credideris gelido rore iuuare Sium.
Falleris, exustum est, vesicam & menstrua soluit,
Saxaque de lumbis puluerulenta trahit.
Miraris? pluuio tantum hoc depascitur imbre.
Quicquid ab æthereis est potis hausit aquis.

Sium in aquis inuenitur, scilicet in fontibus æstate frigidis, hieme calidis. Nascitur, vt tradit Plinius, apij similitudine. Id quatenus iucundo odore gustui offertur, catenus calefacit. Discutiendi vires habet, calculos dissoluendi, & menses ciendi, omniumque viscerum obstructiones aperiendi. Vnde nonnulli à concussu, quod Græci σείειν dicunt, nomen asciuisse videtur. A Dioscoride etiam Lauer nuncupatur.

Lauer.

D 2

De ERVCA, CAP. XI.

Ignitam venerem, lentos Eruca priapos
Excitat, & tremulis optima poplitibus.

ERuca manifestè calefacit: adeoque ab vrendo dicta existimatur, quasi vruca, v in e versa littera. semen generare creditur, & Veneris imperum excitare. Ouidius eruca abstinere præcipit, iis qui ab amore desciscere cupiunt: sic enim ait,

Nec minus erucas iubeo vitare salaces.

Stimulandæ Veneri nata videtur etiam Martialis testimonio, cùm inquit,

Et Venerem reuocans eruca morantem.

Per se sumpta capitis dolorem facit: idcircoque cum lactuca in cibo offerēda est, vt nimiò frigori par feruor admixtus temperamentum æquet.

De PAPAVERE, CAP. XII.

Lucida Niliacis nigra exiccata sub hortis
Pessima Lethæum quæ genuere opium.
Candida sint profugos latura papauera somnos,
Ni modò sint oculis noxia turgidulis.
Lenimen querulæ tussis, sistentia fluxus
Quosque, sed in calidis commodiora focis.
Trita calescenti superinducenda podagræ
Prosunt, insipidæ ni gula parcet aquæ.

PApaueris multa sunt genera; est vnum eius genus erraticum, quod Rheas nuncupatur, ex eo quod celeriter flos eius defluat: alterum est domesticum & satiuum. cuius tria obseruauit genera Dioscorides, aliique herbariæ rei scriptores. Est etiam aliud genus, quod, ex calyculo in corniculorum modum inflexo, corniculatum dicitur. postremum genus heracleum aut spumeum appellant. Papauer autem omne refrigerat. è nigro papauere sopor gignitur: tale est siluestre, præsertim Thebanū exquisitè frigidū, & quarti re- Papaueris differentiæ.

fri-

Erasistratus. frigerantium ordinis. semen quoque papaueris albi moderatè somniferum est. Erasistratus papaueris vsum in totum damnauit, vt lethiferum infundi vetans, prætereà quoniam visui noceret. Papauer tussim pulmonum ac thoracis vitio concitatam compescit, & acutas à capite defluxiones arcet. Podagras idem refrigerat cum lacte muliebri & croco, dolenti articulo admotum. Scribit Galenus papaueris semen panibus, vt sesamum vtiliter inspergi, itriis quoque & bellariis quæ ex melle conficiuntur. Quod si ex eo vel eius succo (quod opium appellatur) imprudenter hausto, noxa corpori accidat, sanabit largè epotum vinum vetus, præsertim si illud generosum fuerit.

Papauer panibus inspersum. Opium.

De sinapi, cap. XIII.

Vome olitor, lacrymas dabis exarsura sinapis,
Cura tibi est, miserum pœna sequetur opus;
Phlegmata, muccosum vel si attenuata lienem
In caput & febres ingeniosa potest.
Pellicere exanimem norit si prouida vuluam,
Soluat & angustis imperet illa locis.
Inque venenatos fungos victura feratur,
Dira prius lacrymis vult maduisse tuis.

Sinapi quarto ordine calefacit & exiccat: suaque vi ignea nares & cerebrum apprehendit, lacrymas excutiendo, nullo asperrimi saporis præuio odore. (vnde natum est illud Gallicum prouerbium, Callidior sinapi). Naribus autem raptus odor, sternutationem cõfestim excitat, & sensim vellicans lacrymas elidit. Sinapi autem ad extenuandum & extrahendum efficax est. ad eliciendam enim capitis pituitã manditur. Veteres etiamnum lienis molestias emendat: sed & ad febrium periodos & circuitus bibitur. Vuluarum strangulatui suffita auxilio est. Fungorum comestorum malignitatem emendant: cùm enim fungi tantæ sint & frigiditatis & humiditatis participes, vt propè deleterij sint (quod latius infrà demonstrabimus) nihil mirum, si eodem gradu calidi, eorum venenositas corrigi & emendari possit.

Callidior sinapi.

De

DE FOENICVLO, CAP. XIIII.

Semina si chymo exurunt hortensia duro
Fœniculi, & sicco non bene sana cibo:
Torridiora time: siluestria renibus ingens
Pharmacum, & vrinæ nobile curriculum.
Durius è lumbis sunt comminuentia saxum.
Sint tumido hæc femori pabula fœmineo.
Ride infans, poterit reclusi munera lactis,
Si viride, hortense est, mox reuocare tibi.
Ride infans, molles, colubri experientia, ocellos
Seruari incolumes, hoc tibi posse docet.
Subuersum, & vento stomachũ extendẽte tumẽtẽ
Aequat, in antiquis febribus esca potens.
Semine si redaperta vigent membra omnia, lotæ
Gloria radici non minor exhibita est.

FOEniculũ potenter calefacit, nimirum in tertio ordine; in primo verò exiccat. Est eius vnum genus domesticum & hortense, est & alterum siluestre seu erraticũ, quod præ magnitudine hippomarathrum dicitur: hoc præcipuè calculos comminuit & pellit. Prodest quoque vesicæ, cum vino subtili potum, & fœminarum menstruis: ea enim elicit: fœminas à partu, renésque purgat, stranguriæ quoque medetur & renum doloribus. Fœniculum vtrumque, lactis abundantiam facit, potum: genituram quoque quocunque modo haustum auget. Fœniculi semen dissolutum stomachum adstringit: sed & in eo genitos flatus discutit. Porrò fœniculum serpentes nobilitauêre, dum ab eius gustu senectam exuunt, & obtusam, hebetemque oculorum aciem eius succo reficiunt. quo perspectum caliginem in hominibus discuti. Quam ob causam succus expressis foliis & caule desiccatus ad solem, medicamentis quæ ad excitandam oculorũ aciem parantur, salubriter admiscetur. Serpentes fœniculum nobilitauere.

DE OCYMO, CAP. XV.

OCymum secundo ordine calefacit, excrementoso humore redundans. hoc plerique vtuntur vt obsonio.

Vitiosi

Vitiosi est ſucci hoc olus, ſtomacho noxium, & cōcoctu difficile. ideò vtiliter in corpus non admittitur. Extra verò illitum, diſcutiendo & maturando idoneum eſt.

De cvmino, cap. xvi.

Vilis & iniuſti campeſtria grana cumini
Vſta nimis, cultu mitia facta placent.
Hæc ede, ventoſi clamas ſi tormine ventris,
Et ſtomachum & lumbos igne minore iuuant.
Pallida cui grata effigies, & buxea cordi,
Hæc ſimulata cohors relligioſa voret.
Illa remollitum ſubducere docta lapillum,
Vrinæ norunt, rumpere poſſe fores.
Si tinea erodat, vel ros tua corda niualis,
Illa ede, ruſticitas læſa probanda venit.

CYmini præcipuus vſus in ſemine; quòd in tertio ordine calefacit: qua ratione pituitas & inflationes digerit, potum ex vino tormina & inteſtinorum dolores diſcutit. decoctum ex oleo ſubtus inditur ad colicos affectus. Valet quoque ad humores qui in ſtomacho coierunt. his etiam præſentiſſimo eſt remedio cyminum, quos excruciant calculi, aut vrina acriore vi vellicat; præterea iis qui ſanguinem concretum per vrinam reddunt: vrinam etiam mouet. Cyminum ſatiuum. Satiuum autem cyminum ſapore cibos commendat. Ceterùm, colorem bibentium aut illinentium, in pallorem mutare cyminum traditur.

De aniso, cap. xvii.

Pituitas aniſi grana exarentia pingues
Igne pari Iliacum ſoluere crediderim.
Si ſtomachus, lumbi, gelidumque increuerit hepar,

Ve-

Vesica intumeat, vulua, lien, femora:
Illa ede, & antiquo vel cor si caumate languet;
Præsenti dices auxiliantur ope. (fallit
Laus numerosa quidem hæc, minimi nec formula
Pectus, & hoc torpens guttur, & aluus amãt.

ANisi semen plurimo vsui est, acre & subamarum existens, vt propè iam ad causticam accedat. Tertio enim ordine calefacit & exiccat: ideò thoracis pituitas tostũ purgat, & melius cum melle sumptum. Cruditates digerit: inflationibus stomachi, intestinorum torminibus, cœliacis, aliisque id genus morbis medetur. Vrinam prouocat: alba fœminarum profluuia sistit, & vuluæ strangulationes sedat. Potum anisum sitim cohibet. Ceterùm, nonnulli in conficiendo pane, anisum, commendationis halitus oris gratia, admiscent. Edetur autem commodius anisum in tertia mensa; vapores enim caput petentes reprimit. Anisum cur panibus admisceatur.

DE CORIANDRO, CAP. XVIII.

Ne crasso noceant oculis Coriandra liquore,
Siccata huc veniant igne referta leui.
Hæc caput inuisa pressum caligine, mensis
Optat summotis, hæc fluida aluus edat.
Dura parum, stomacho tamen optatissima nostro:
Hinc redolens sicca est, nec putret assa caro.
Niliacis præstant si sint delecta sub hortis,
Plura odi, parca sunt mihi grata manu.
Sic mea demulcent ardentia corda, nec omnes
Nostra Venus numeros perdet inepta suos.

SImplicis coriandri vsus minus tutus est, idque propter innatam illi malignitatem quandam. Coriandro igitur cum melle vel vua passa vtendum. Nostrates eam ob causam aceto præparant, & saccharo inuoluunt & condiunt.

Co-

Coriandri autem commodior vſus eſt in tertia menſa,ad reprimendos vapores caput petentes, ſtyptica illa vi qua plurimum valet,quaque alui fluorem ſiſtit. In ſtatuenda verò Coriandri qualitate,non ſatis conſentiunt Galenus & Dioſcorides. Is enim cap. 60. lib. 3. de Coriandro agens, ſic ſcribit: Coriandrum vulgaris eſt notitiæ, vim refrigeratoriam habens. Galenus verò lib. 7. de ſimpl. medicam. facult. hæc habet: Vetuſtiores Græci Coriannum nominabant, recentiores medici omnes Corion appellitant: ſicut & Dioſcorides refrigeratoriam herbam ipſam eſſe dictitans; ſed perperam: ſiquidem ex contrariis facultatibus conſtat,& compoſita eſt,plurimum habens eſſentiæ amaræ,quam oſtendimus eſſe tenuium partium & terrenam. Nec parum etiam aqueæ humiditatis obtinet,quæ tepentis eſt facultatis; his adiunctum eſt quoque aſtrictionis pauxillum. Ex quibus omnibus variè quidem agit, ea quæ ſcribit Dioſcorides, ſed non tantum ex refrigeratione: & paulò pòſt ſub finem capitis: Porrò quod longè abſit à refrigeratione coriandrum, vel ex iis, quæ ipſe ſcripſit Dioſcorides, diſcere liceat. Nam chæradas ſiue ſtrumas cum faba freſa ſeu lomento, inquit, diſcutit. Quod autem nullum refrigerantium medicamentorum idoneum ſit diſcutiendis chæradibus, vel ipſum Dioſcoridem non dubitaturum arbitror, quippe qui ſexcenta ſcripſerit medicamenta chæradas ſanare potentia, quæ omnia tum temperie calida, tum actionibus digerentia eſſe cōfeſſus eſt. hæc Galenus. Ex iis igitur conſtat ex diametro pugnare inter ſe Galenum & Dioſcoridem. Auicennas medius quodammodo inter vtrumque eſt: ſic verò ille: Dixit Galenus, quòd virtus coriandri eſt cōpoſita ex terrena & aquea ſubſtātia tepida: item ex ſtypticitate, ſeu adſtrictione. Apud me verò aquoſitas in ipſo frigida eſt, nō tepida omninò, niſi hoc accidat propter ſubſtantiam ſubtilem calidam admixtam, cuius ab eo fit velox ſeparatio. Et quantum quidem ad id quod Galenus negat, coriandrum frigidum eſſe, contradicendo Dioſcoridi, aſſero ipſi frigiditatem à Rufo, Archigene, aliiſque aſſignatam. Frigidum igitur eſt in fine primi vſque ad ſecundum, & ſiccum in ſecundo, vel etiam in tertio ordine. Mihi verò videtur ad exiguam caliditatem declinare. ſed Galenus in totum calidum facit; & forſitan illud fit, propter ſubſtātiæ ipſius ſubtilitatem, quæ reſoluitur, nec remanet cùm bibitur: aliter enim non oporteret ſucci eius magnam

Controuerſia inter Galenū & Dioſcoridē de coriandri qualitate.

lib. 2. Cau. tract. 2. cap. 144.

gnam esse quantitatem, quæ refrigerando interficeret. hactenus Auicennas. Seruari autem modum oportet in coriandri vsu: nam largius sumptum, & frequentior ipsius esus, magno discrimine mentem commouet. Coriandro viridi vis magna inest ad refrigerandos ardores. genituram auget. M. Varro coriandro subtrito cum aceto, carnem incorruptam æstate seruari putat. Ceterùm, præcipuum coriandrum & præstantissimum, constat esse Aegyptium.

Varro. Coriandrum Aegyptium.

De mentha, cap. XIX.

Nauseat ignitam, & bene olentem carpere mentã
Vult stomachus, caput est triste, morare liber.
Obstruat illa femur: Veneri tumefacta parumper
Grata licet, sperma hinc, lác ve coire nequit.

MEnta (quã Græci ἡδύοσμον ab odoris suauitate nuncupant) omninò stomachum adiuuat. vomitiones quoque sistit, si ea cum granati succo vtaris: appetentiã inducit: suo odore caput recreat, animumque excitat: purgationes fœminarum inhibet: auiditatẽ Veneris excitat. Quæ causa fuit, cur veteres exercituum duces, militem, quem castum esse volebant, (vnde & castra dicta sunt) menta vesci prohibuerint. Quærit Aristoteles in Problematis, cur in adagium venerit, mentam belli tempore nec edendam nec serendam. Quam quæstionem sic soluit: Quoniam, inquit, corpora refrigeret, absumens geniturani, id quod fortitudini & ferocitati est contrarium. Sed cùm omnes mentam calefaciendi & exiccandi viribus præditam esse tradant, fieri potest, vt ex se calefaciat, ex accidenti refrigeret. Id verò multis aliis rebus contingit. Vel dicendum, astringendi facultate seu acerbitate, qua etiam prædita est, vomitiones, muliebres fluxus penè omnes, & sanguinis reiectiones sistere, vt modò diximus, ab ea genitalia densari. Aristoteles itaque semen genitale menta corrumpi tradit: Plinius Aristoteli assentiens, ait mentam ex aqua & mulso potam, impedire genitalium condensationem; ideoque Venereis prorsus aduersari, quòd semen liquidius ad generationem planè ineptum sit. Eadem mammis admota, nec coire nec densari

Aristoteles. Menta belli tempore nec edenda nec serenda.

Plinius.

F lac

lac patitur, quare lactis potionibus additur, ne ex huius potu strangulationis periculum immineat.

DE RVTA, CAP. XX.

Singultus acidos pellit, gelidumque lienem,
Igne suo, vmbrosis optima ruta oculis.
Si femur hanc lasciuum odit, rabidumque venenũ
Discupit hanc neruus, cœliacusque dolens.

Cruditates, inflationes, & veteres stomachi dolores, ruta mox discutit. In tertio enim ordine calefacit & exsiccat hortensis, agrestis verò in quarto. Ruta comesta visum exacuit: oculorum dolores cum polenta quoque mitigat, quod ipsum præstat eiusdem succus. Generationem ruta inhiberi tradunt: ideò præcauendum grauidis, vt hoc abstineant, necari enim partus inuenerunt. Quin & addunt semen rutæ diebus quindecim potum, vsque eo prægnantibus infestum esse, vt fœtum in vtero perimat, abortuque vitiet. Aduersus venena omnia antidota valet; immò antidotis penè omnibus prima misceri solet. Bibitur quoque ruta ad coxendicum & articulorum vitia: item ad inflationes coli, rectique intestini, commodè eius in oleo decocto, perluitur aluus.

Ruta agrestis

Ruta prægnantibus infesta.

DE ASPARAGIS, CAP. XXI.

Quod liber Asparagos habeas vix igne tepentes,
Quos tulit Adriacis cincta Rauenna vadis:
Quodque etiam incultis, duraque à cote reuulsis,
Qui magis exurant, plena culina tua est.
Hoc tibi ab excelso est, non paruũ munus Vbaldo:
Cui datur immotæ gloria prima rotæ.
Quàm benè consuluit nobis: tibi nomen ab illo
Aeternum, addicta est vita, salusque mihi.

Renibus hinc valeo, iecore, intumidoque liene;
Ilia, nec mundum tergus, vt antè, dolent.
Si Venere hic crucior, ſupra hoc mihi munus abũde eſt:
Quod potuit ſalua relligione dedit.

ASparagus abſtergendi vim habet, non tamen manifeſtè calefacit aut refrigerat. Recentes thyrſulos aſparagorum in voluptatem gulæ verterunt helluones, & Rauennatibus palmam dedere. Silueſtribus tamen cedere ſcribit Martialis: *Aſparagi Rauennates.*

Mollis in æquorea quæ creuit ſpina Rauenna
Non erit incultis gratior aſparagis.

Aſparagi cum vino cocti, lumborum & renum dolores mitigant, vrinas mouent, ventrem emolliunt, iecur & renes infarctu liberant, maximè radices & ſemen. Earum tamen vſus ſi nimius fuerit, nõ leuem interdum noxam infert, cùm vrinam citam emittant, veſicamque, quod pernicioſum eſt, exulcerent. Venerem etiam ſtimulare creduntur. Porrò Aſparagi nomen nõ tantùm ſpinoſi fruticis ſummi cacumẽ, quod edendo eſt, quodque priuatim cum tota planta aſparagus vbique nominatur, ſignificat, ſed primum, necdum in folia explicitum plantarum omnium germen. Athenienſes non aſparagum, ſed aſpharagum dicere conſueuerunt. Quã dialectum ſecutus Plutarchus, in nuptialibus præceptis ait, Bœotios conſueuiſſe ſponſam ad maritum ducere ἀσφαραγώνια, id eſt, aſpharagi ſpinoſo frutice coronatum: vt quemadmodum ex aſperiore ſpina, non ingratus cibus homini aſparagus eſt; ſic non fugienti, neque auerſanti coniugi primas coniugij difficultates, & ſi quid minus in vxore tunc placet, dulce & amabile futurum tandem vxoris contubernium. *Aſparagus quid.* *Athenienſes aſparagum, aſpharagum dicunt. Bœotiorum conſuetudo.*

DE CAPPARIBVS, CAP. XXII.

Soluitur ardenti torpeſcens flore palatum
Capparis & folio, cumque liene iecur.

FRuctus capparis sale cõfect⁹, ablutus & madefactus, donec omnem exuerit salsedinẽ, commodũ medicamentũ est ad languentẽ appetendi vim excitandam, & ad lienis & hepatis obstructiones aperiendas. Ferunt quoque eos qui quotidie capparibus vescuntur, resolutione neruorum non periclitari, nec lienis doloribus. Stomacho autem inutiles esse, inter auctores conuenit.

DE BVGLOSSA ET BORAGINE, CAP. XXIII.

Si tibi Buglossa est succi & Borago tepentis,
Lætus eris, siccum nec tibi pectus erit.

BVglossa calidi est & humidi temperamenti: ideò vino iniecta, præsertim verò flores eius; lætitiam & iucunditatem animi inducit. Borago autem vulgaris, ipsissimum est Buglossum, huius species est, quam officinæ Buglossam vocant.

DE MELISSA, CAP. XXIIII.

Cor mihi triste, gelu pectus, cerebrũque rigescit,
Singultit stomachus, grata Melissa veni.
Per te hilaris, redolens, & mundi pectoris, aucto
Sũmque calore potens, gratia magna tibi.

MElissa calida est & sicca in secundo: confortatiua est cordis; cuius etiam tremorem aufert, pectus lenit, obstructionibus cerebri confert: concoctionem iuuat, & singultum tollit. Omnibus morbis phlegmaticis, & melancholicis confert. Est autem Melissa seu Melissophyllum facultate Marrubio simile, vt scribit Gal. libr. 7. de simpl. medic. facult. Plurimum tamen ab eo derelinquitur, vt nullus melissophylli vsus sit, præsente Marrubij copia.

DE LVPVLO, CAP. XXV.

Si Lupulum oblectant antra & nemorosa salicta,

Hoc facit ingrato ſit ſatis vt Medicō.
Frigidus hinc bilem, calidumq́ue arcere cruorem
Eſt potis, hunc calida & febris anhela timet.
Gratia ſi magna eſt illi, tua noxia maior
Eſt Medice, hoc ſanctum qui malè noris olus.

LVpulus ſubit ſcanditq́ue ſalices & arbuſta omnia, circunuoluendo ſe complectitur: quam ob cauſam lupus ſalictarius, ſeu reptitius hodie nuncupatur. Meſue lupulum quartam eſſe volubilis ſpeciem tradit. Is ægerrimè fert tam rarum lupuli vſum, cùm medicamentum optimū, & ad multa vtile exiſtat. Nec enim veterum vllus lupulum agnouiſſe videtur, ſiquidem nullam eius factam mentionem reperies à Galeno, Aëtio aut Dioſcoride. Bilem educit lupulus, ſanguinem mundificat, & vtriuſque humoris feruorem contēperat. Qui ex eo confici ſolet ſyrupus, bilioſis febribus mirum in modum confert. Ceterùm, teneris lupi ſalictarij turionibus in acetariis vtimur. Meſue.

DE FLORE SABVCI, CAP. XXVI.

Flos venit hortenſi candens ab olente Sabuco,
Hic odor, hic cibus eſt, menſa decorq́ue tibi.
Non leuis eſt ſtomacho, capiti ſed amicior, hepar
Hunc amat, & frigens lumbus, in obſoniis.

SAmbucus refrigerandi & exiccandi facultatem habet, (licet Auicennæ calefaciat & exiccet) agglutinandi, & moderatè diſcutiendi. Flos eius in cibariis ſumptus, hepaticis, cardiacis & hydropicis confert: ſtomacho autem inutilis eſt. dolori capitis à phlegmate genito medetur. Frutex porrò hic Q. Sereno, nō Sambucus, ſed Sabucus dici debet. Q. Serenus.

DE TRIBVLO, CAP. XXVII.

Tribule in vndoſis ſi nate paludibus, alges,

Cur tamen iratæ cornua frontis habes?
Secretas tutamur opes, sub cortice dulcis
Esca latet, dulce hoc nec nisi ab igne datur.
Et mihi ab æthereo numerosa potentia rore,
Me maris & cæli prouida cura fouet.
Languentes vereor fauces, me mandére lumbus
Discupit, vrina huic quum nocuitve lapis.
Ex me mica iuuat, grauidas sed contrahit aluos.
Me miserum, mortis dos mea caussa mihi.

Tribuli genera.

TRibuli duplex est genus, terrestre vnum, alterum aquaticum. Terrestre Theophrasto duplex est, vni folium cicerculæ, alteri aculeatum tribuit. Terrestre quibusdam putatur esse, quod vulgus Chaucetrepe nuncupat. At quod in fluminibus & stagnis nascitur, satis notum est vulgo. Nonnulli saligos, vel castaneas aquatiles, alij treuflas malunt nominare. Tribulus autem ex humida substantia moderatè frigida & sicca constat. Vincit in campestri frigiditas terrea, in palustri verò aquositas. Fructus tribuli terrestris, cùm tenuiũ sit partium, in renibus lapides atterit. Ceterùm Thraces qui ad Strymonem habitant, virentibus tribuli foliis equos saginant: nucleo autem viuunt, panem facientes prædulcem, sed qui ventrem contrahit.

Tribuli natura & facultas

DE AMARAÇO, CAP. XXVIII.

Torrida si neruis, & Amaracus apta cerebro,
Hanc sitiens semper, non minus optet hydrops.
Vrinæ & tumidis reserat spiracula ventis,
Hanc cui sit matrix ægra puella colat.

AMaracum & Sampsychum idem esse ex veteribus cõstat. Habet autẽ amaracus vim discutiendi & tenuandi, in tertio enim gradu calefacit & exiccat. Fit ex Sampsycho oleum quod sampsychinum vel sampsuchinum vocatur,

tur, ad calefaciendos & emolliendos neruos. Caputpurgiis, & iis quæ per nares cerebrum expurgant medicamentis, ἔῤῥινα Græci vocant, admisceri amaracus solet. Viscosos enim & glutinosos humores è capite elicit. Succus ipsius ad incipientem hydropem potu vtilis, & iis quos vrinæ difficultas aut tormina infestant. Folia amaraci subdita in pesso retardatos menses trahunt.

De serpyllo, cap. xxix.

Menstrua Serpyllum, vesicæ pondera, tabem
Pectore ab infirmo, subtrahit igne suo.

Serpyllum ita calefacit, vt menses & vrinam ducat, gustu acre est. Tam suaui autem quem ex se mittit odoris halitu, omnes adeò delectat Serpyllum, tamq́ue vno hoc bono vbique sese cōmendat, & amabile facit, vt nunc in vsum condimentarium passim veniat.

De mercuriali, cap. xxx.

Vsta parum vulvæ duroq́ue innoxia ventri,
Fœmina seu mas sit Mercurialis erit.
Maxima Mercurio laus est, fœmella puellam,
Mas puerum, Venus est quum sociata dabit.

Mercurialis duplex est, mas & fœmina: vtraque calida & sicca existit in primo gradu. discutiendi quoque vim habet. Hippocrates mercurialem miris laudibus in mulierum vsum commendauit, nimirum eam cum melle vel rosaceo, vel liliaceo, vel irino oleis vulvæ admouit, adciendos menses & secundas: eadem ad mouendam aluũ passim vtimur. A Mercurio inuenta est herba hæc, vnde ἑρμοῦ πόα à Græcis, à Latinis Mercurialis dicta est. Mirum est quod de mercuriali tradunt, marē efficere vt mares gignantur, fœmellam vt fœminæ. idq́ue accidere si à conceptu, succus per triduum bibatur ex passo, aut folia decocta ex oleo & sale edantur, vel cruda ex aceto, aut si fœminarum genitalibus

Mercurialis duplex.
In li. de mor. muliebr.
Mirum de mercuriali.

libus folia trita apponantur. Quarto deinde die vir cum vxore ex balneo redeunte coeat.

DE SALVIA, CAP. XXXI.

Vix sicca est calido, stomachũ & cerebella iuuabit
Certa salus tremulis saluia poplitibus.
Dentibus, vrinæ reclusæ; menstrua ducens
Saluia, & in fluidis ventribus apta satis.

SAluia calida est & sicca, leuiterque digerit: ea in multis condimentis vtimur, nec mirum cùm herba salutaris sit. Vnde illud natum est:

Cur moritur homo cui saluia crescit in horto?

Agrippa saluiam herbam sacram vocat.

Agrippa herbam sacrã vocauit, vt refert Aëtius, quam prægnantes mulieres si fluidæ laxæque fuerint, vtilissimè comedunt: continet enim conceptum vitalemque reddit. Tradit idem Agrippa leænas saluiam esse ad conceptus facilitatem: illudque in confesso habetur, fœminas, si succi huius heminam cum modico salis, quadrantem horæ ante concubitum ebiberit, concepturam: aiuntque in Copto Aegypti post pestes sæuissimas ab his qui supersunt, ad eum succum bibendum mulieres cogi, plurimosque inde produci fœtus. Contra paralysim multũ valet, dẽtibus illita prodest, vrinas mouet: cum vino pota commorantes menses trahit, abundantes sistit decoctum eius potum.

Saluia ad conceptum facit.

DE ARTEMISIA, CAP. XXXII.

Est calida, & capitis frigenti in tormine siccans,
Prouida Parthenidos cui modò nomen erat.
Regia iam facta est, menses reuocatque secundas
Fœmineas, vuluæ sedula in obsequiis.

Artemisiæ genera.

ARtemisia duplex est, habitior vna foliis virgisque latioribus, altera verò gracilioribus, flore albo tenui, exiguo, graue olente, qui æstate erumpat. Apud nos tria Artemi-

temisiæ genera inueniuntur: vnum fruticosum absinthij modo, maioribus & pinguioribus foliis, superna parte ex nigro virescentibus, inferna autem cæsiis & multum resectis, in cubitalem altitudinem, aut etiam maiorem excrescit: flos illi albus, tenuis & odoratus: Galli Armoisiam vocant: secundũ genus marinum dicitur, quòd non alibi ferè, quàm in maritimis ortum inueniatur. Tertium simplici caule consurgit, foliis minutim scissis, color illi subpallidus: flos luteus, & odoris non ingrati. Hoc postremum genus quod ferè perpetuum florem habeat, nec citò marcescentem, Athanasia, vulgo autem Tanacetum nuncupatur. Artemisia verò omnis secundo ordine calefacit, & primo exiccat, aut in principio secundi: tenuisque est substantiæ. Extenuandi quoque vim habet, vt scribit Dioscorides. Artemisiam autem dictam putant ab Artemisia vxore Mausoli, quæ sibi hanc herbam adoptauit, cùm priùs Parthenis vocaretur. Alij verò ab Artemide nomen accepisse putant, quòd priuatim vitiis muliebribus remedio sit, quibus Artemis, id est, Diana præest. nõnulli olus regium vocant. Artemisia omnis feruefacta conueniẽter additur in sessibus muliebribus ad detrahẽdos mẽses, partus & secundas. In summa, solis vuluæ malis nata videtur Artemisia, paucisque adeò aliis aliatum partium morbis accommodatur.

Artemisia vnde sit dicta.

Parthenis.

DE ROSMARINO, CAP. XXXIII.

Dentibus & gelido capiti, tumidisque lacertis,
Et stomacho, ignita est Rosmaris aptus ope.

Libanotides tres sunt, vna sine fructu, & duæ fructiferę. Eandem omnes facultatem habent, molliendi, discutiendi, abstergendi & incidendi. Calefaciunt enim. eam ob causam hebetudines oculorum, quæ ob crassos humores fiunt, emendant. Coronaria autem regio morbo laborantes iuuat, flores sale bene trito oleo & aceto condiuntur, ad voluptatem & salubritatem. Stomachum enim calefaciunt, fluxiones tollunt, & asthmaticis prosunt.

Libanotidis species.

Coronaria.

De bettonica, cap. xxxiiii.

Publica Bettonicæ, qua nulla operosior herba est,
Gloria, siccato grata tepore venit.
Cui dolet, aut luxum est corpus, cui vulnera mille,
Cui caput infirmum, cui iecur inualidum;
Cui stomachus gelidúsve lien, cui lumina languēt,
Quique lacessitis dentibus inuigilat:
Cui serpens rabidúsue canis, vel dira venena
Officiunt: podagra qui dolet aut chiragra:
Denique cui tumida est vesica, & venter obesus,
Cui gelida est febris, cui pituita nocet.
Delectam aprico geminorum in colle, sub ortu
Carpat, & hanc, saluus si velit esse, bibat.

BEtonica, quā Vetones inuenisse refert Plinius, *κέστρον*, & *ψυχότροφον*, quòd frigidis in locis prouentus eius multus sit, à Græcis dicitur: incidendi vim habet, quod ex eius acrimonia & amaritudine colligi potest. Calida enim & sicca est in primo gradu. Tātum autem gloriæ habet, vt domus in qua sata sit, tuta existimetur à piaculis omnibus. tātæ quoque, nec eæ vulgares, sunt illius facultates & vires, vt Musa Augusti Cæsaris Medicus, peculiare de ea volumen scripserit: in quo Betonicam ante reliquas omnes plantas laudatissimam, omnibus ferè morbis satis esse demonstrat. Crediderim ego facilè non minus vtilem sanis fore, etsi ea sæpius quis vtatur, eos morbos euadet, quos curare apta est.

Musa librum de Bettonica conscripsit.

De baticvla, cap. xxxv.

Sic capiti & stomacho Batis arida grata tepore,
Siue sit hortensis, siue marina tibi.
Sic iecur & lumbos, vesicæ aptissima, mulcet,
Inter regales vt sit habenda dapes.

BAtis herba est falso gustu, & quadantenus amaro: deficcatoriæ & abstersoriæ est facultatis. Duplex est, marina vna, quam Græci κρίθμον, vel potius κρίθαμον nuncupant; Creta marina vulgò dicitur: altera hortensis est, quam Plinius Asparagum Gallicum à quibusdam nuncupari scribit. Columella olus cordum, quasi serotinum dixeris, appellat. Non aliter quàm Plinius fœnum secundarium, seu Autumnale, quod nimirum mense Augusto vellitur, Cordum dici commemorat. Olus hoc satis gratum est, gratioremque corporis colorem facit: quam ob causam nonnulli illud cōdiunt. In condiendi autem ratione Plinius & Columella videntur prima fronte dissentire: Plinius enim Dioscoridem secutus, Batim muria asseruari debere scribit: Columella cōtrà, oleri huic muriam minùs conuenire tradit. At repugnantia non dicere comperies, si animaduerteris Plinium de Bati marina, Columellam autem de hortensi agere. Estur autem vel cruda, vel cum aliis oleribus cocta. Batis porrò insignis vsus est, ad vrinæ difficultates & stillicidia, necnon ad renum dolores. ad icterum quoque valet.

Batis duplex.

Olus cordum

Cōditura Batis ratio inter Pliniū & Columellam cōtrouersa.

De dracunculo, cap. XXXVI.

Ne vereare tuam si fortè Dracunculus intret,
Stulte liber cœnam, fercula amata feret:
Ignitum stomacho ægroto allatura teporem,
Vesicæ & lumbis non minus apta meis.

DRacunculus duplex, maior & minor, iam satis notus est. vterque aro, cui radice tenus similis est, acrior, amarior, calidior, tenuiorisque est substantiæ: habet acrimoniæ & amaritudini adstrictionem quandam admixtam, qua ratione medicamentum est efficacissimum. Radix dracunculi cruda coctáve sanorum cibis expetitur. Huius natura maximè excalfactoria est, ideoq; stomacho refrigerato perquam vtilis est. Galenus dracunculi radicem, semel, iterumque, aut etiam tertiò decoctam, quò omnem eius medicam vim exueret, interdum ari modo exhibebat, præsertim cùm lenti crassique humores maiore nixu expellendi erant.

Dracunculi species duæ.

Vitiosi est succi hoc olus, stomacho noxium, & cōcoctu difficile. ideò vtiliter in corpus non admittitur. Extra verò illitum, discutiendo & maturando idoneum est..

DE CVMINO, CAP. XVI.

Vilis & iniusti campestria grana cumini
Vsta nimis, cultu mitia facta placent.
Hæc ede, ventosi clamas si tormine ventris,
Et stomachum & lumbos igne minore iuuant.
Pallida cui grata effigies, & buxea cordi,
Hæc simulata cohors relligiosa voret.
Illa remollitum subducere docta lapillum,
Vrinæ norunt, rumpere posse fores.
Si tinea erodat, vel ros tua corda niualis,
Illa ede, rusticitas læsa probanda venit.

CYmini præcipuus vsus in semine; quòd in tertio ordine calefacit: quà ratione pituitas & inflationes digerit, potum ex vino tormina & intestinorum dolores discutit. decoctum ex oleo subtus inditur ad colicos affectus. Valet quoque ad humores qui in stomacho coierunt. his etiam præsentissimo est remedio cyminum, quos excruciant calculi, aut vrina acriore vi vellicat; prætereà iis qui sanguinem concretum per vrinam reddunt: vrinam etiam mouet. Satiuum autem cyminum sapore cibos commendat. Ceterùm, colorem bibentium aut illinentium, in pallorem mutare cyminum traditur.

Cyminum satiuum.

DE ANISO, CAP. XVII.

Pituitas anisi grana exarentia pingues
Igne pari Iliacum soluere crediderim.
Si stomachus, lumbi, gelidumque increuerit hepar,

Ve-

Vesica intumeat, vulua, lien, femora:
Illa ede, & antiquo vel cor si caumate languet;
Præsenti dices auxiliantur ope. *(fallit*
Laus numerosa quidem hæc, minimi nec formula
Pectus, & hoc torpens guttur, & aluus amãt.

ANisi semen plurimo vsui est, acre & subamarum existens, vt propè iam ad causticam accedat. Tertio enim ordine calefacit & exiccat: ideò thoracis pituitas tostũ purgat, & melius cum melle sumptum. Cruditates digerit: inflationibus stomachi, intestinorum torminibus, cœliacis, aliisque id genus morbis medetur. Vrinam prouocat: alba fœminarum profluuia sistit, & vuluæ strangulationes sedat. Potum anisum sitim cohibet. Ceterùm, nonnulli in conficiendo pane, anisum, commendationis halitus oris gratia, admiscent. Edetur autem commodius anisum in tertia mensa; vapores enim caput petentes reprimit.

Anisum cur panibus admisceatur.

De coriandro, cap. XVIII.

Ne crasso noceant oculis Coriandra liquore,
Siccata huc veniant igne referta leui.
Hæc caput inuisa pressum caligine, mensis
Optat summotis, hæc fluida aluus edat.
Dura parum, stomacho tamen optatissima nostro:
Hinc redolens sicca est, nec putret assa caro.
Niliacis præstant si sint delecta sub hortis,
Plura odi, parca sunt mihi grata manu.
Sic mea demulcent ardentia corda, nec omnes
Nostra Venus numeros perdet inepta suos.

SImplicis coriandri vsus minus tutus est, idque propter innatam illi malignitatem quandam. Coriandro igitur cum melle vel vua passa vtendum. Nostrates eam ob causam aceto præparant, & saccharo inuoluunt & condiunt.

Co-

Coriandri autem commodior vſus eſt in tertia menſa, ad reprimendos vapores caput petentes, ſtyptica illa vi qua plurimum valet, quaéque alui fluorem ſiſtit. In ſtatuenda verò Coriandri qualitate, non ſatis conſentiunt Galenus & Dioſcorides. Is enim cap. 60. lib. 3. de Coriandro agens, ſic ſcribit: Coriandrum vulgaris eſt notitiæ, vim refrigeratoriam habens. Galenus verò lib. 7. de ſimpl. medicam. facult. hæc habet: Vetuſtiores Græci Coriannum nominabant, recentiores medici omnes Corion appellitant: ſicut & Dioſcorides refrigeratoriam herbam ipſam eſſe dictitans; ſed perperam: ſiquidem ex contrariis facultatibus conſtat, & compoſita eſt, plurimum habens eſſentiæ amaræ, quam oſtendimus eſſe tenuium partium & terrenam. Nec parum etiam aqueæ humiditatis obtinet, quæ tepentis eſt facultatis; his adiunctum eſt quoque aſtrictionis pauxillum. Ex quibus omnibus variè quidem agit, ea quæ ſcribit Dioſcorides, ſed non tantum ex refrigeratione: & paulò pòſt ſub finem capitis: Porrò quod longè abſit à refrigeratione coriandrum, vel ex iis, quæ ipſe ſcripſit Dioſcorides, diſcere liceat. Nam chæradas ſiue ſtrumas cum faba freſa ſeu lomento, inquit, diſcutit. Quod autem nullum refrigerantium medicamentorum idoneum ſit diſcutiendis chæradibus, vel ipſum Dioſcoridem non dubitaturum arbitror, quippe qui ſexcenta ſcripſerit medicamenta chæradas ſanare potentia, quæ omnia tum temperie calida, tum actionibus digerentia eſſe cōfeſſus eſt. hæc Galenus. Ex iis igitur conſtat ex diametro pugnare inter ſe Galenum & Dioſcoridem. Auicennas medius quodammodo inter vtrumque eſt: ſic verò ille: Dixit Galenus, quòd virtus coriandri eſt cōpoſita ex terrena & aquea ſubſtātia tepida: item ex ſtypticitate, ſeu adſtrictione. Apud me verò aquoſitas in ipſo frigida eſt, nō tepida omninò, niſi hoc accidat propter ſubſtantiam ſubtilem calidam admixtam, cuius ab eo fit velox ſeparatio. Et quantum quidem ad id quod Galenus negat, coriandrum frigidum eſſe, contradicendo Dioſcoridi, aſſero ipſi frigiditatem à Rufo, Archigene, aliiſque aſſignatam. Frigidum igitur eſt in fine primi vſque ad ſecundum, & ſiccum in ſecundo, vel etiam in tertio ordine. Mihi verò videtur ad exiguam caliditatem declinare. ſed Galenus in totum calidum facit; & forſitan illud fit, propter ſubſtātiæ ipſius ſubtilitatem, quæ reſoluitur, nec remanet cùm bibitur: aliter enim non oporteret ſucci eius magnam

Controuerſia inter Galenū & Dioſcoridē de coriandri qualitate.

lib. 2. Can. tract. 2. cap. 144.

gnam

gnam esse quantitatem,quæ refrigerando interficeret. hactenus Auicennas. Seruari autem modum oportet in coriandri vsu: nam largius sumptum, & frequentior ipsius esus,magno discrimine mentem commouet. Coriandro viridi vis magna inest ad refrigerandos ardores. genituram auget. M. Varro coriandro subtrito cum aceto, carnem incorruptam æstate seruari putat. Ceterùm, præcipuum coriandrum & præstantissimum,constat esse Aegyptium.

Varro. Coriandrum Aegyptium.

De mentha, cap. XIX.

Nauseat ignitam, & bene olentem carpere mentã
Vult stomachus,caput est triste,morare liber.
Obstruat illa femur: Veneri tumefacta parumper
Grata licet,sperma hinc, lácve coire nequit.

MEnta(quã Græci ἡδύοσμον ab odoris suauitate nuncupant) omninò stomachum adiuuat. vomitiones quoque sistit,si ea cum granati succo vtaris: appetentiã inducit: suo odore caput recreat, animumq́ue excitat: purgationes fœminarum inhibet: auiditatẽ Veneris excitat. Quæ causa fuit, cur veteres exercituum duces,militem,quem castum esse volebant, (vnde & castra dicta sunt) menta vesci prohibuerint. Quærit Aristoteles in Problematis,cur in adagium venerit, mentam belli tempore nec edendam nec serendam. Quam quæstionem sic soluit: Quoniam,inquit, corpora refrigeret,absumens geniturani,id quod fortitudini & ferocitati est contrarium. Sed cùm omnes mentam calefaciendi & exiccandi viribus præditam esse tradant, fieri potest,vt ex se calefaciat, ex accidenti refrigeret. Id verò multis aliis rebus contingit. Vel dicendum, astringendi facultate seu acerbitate, qua etiam prædita est, vomitiones, muliebres fluxus penè omnes,& sanguinis reiectiones sistere,vt modò diximus,ab ea genitalia densari. Aristoteles itaque semen genitale menta corrumpi tradit: Plinius Aristoteli assentiens, ait mentam ex aqua & mulso potam, impedire genitalium condensationem; ideoq́ue Venereis prorsus aduersari, quòd semen liquidius ad generationem planè ineptum sit. Eadem mammis admota, nec coire nec densari

Aristoteles. Menta belli tempore nec edenda nec serenda.

Plinius.

lac patitur, quare lactis potionibus additur, ne ex huius potu strangulationis periculum immineat.

DE RVTA, CAP. XX.

Singultus acidos pellit, gelidumque lienem,
Igne suo, vmbrosis optima ruta oculis.
Si femur hanc lasciuum odit, rabidumque venenũ
Discupit hanc neruus, cœliacusque dolens.

Ruta agrestis

Ruta prægnantibus infesta.

CRuditates, inflationes, & veteres stomachi dolores, ruta mox discutit. In tertio enim ordine calefacit & exsiccat hortensis, agrestis verò in quarto. Ruta comesta visum exacuit: oculorum dolores cum polenta quoque mitigat, quod ipsum præstat eiusdem succus. Generationem ruta inhiberi tradunt: ideò præcauendum grauidis, vt hoc abstineant, necari enim partus inuenerunt. Quin & addunt semen rutæ diebus quindecim potum, vsque eo prægnantibus infestum esse, vt fœtum in vtero perimat, abortuque vitiet. Aduersus venena omnia antidota valet; immò antidotis penè omnibus prima misceri solet. Bibitur quoque ruta ad coxendicum & articulorum vitia: item ad inflationes coli, rectique intestini, commodè eius in oleo decocto, perluitur aluus.

DE ASPARAGIS, CAP. XXI.

Quod liber Asparagos habeas vix igne tepentes,
Quos tulit Adriacis cincta Rauenna vadis:
Quodque etiam incultis, duraque à cote reuulsis,
Qui magis exurant, plena culina tua est.
Hoc tibi ab excelso est, non paruũ munus Vbaldo:
Cui datur immotæ gloria prima rotæ.
Quàm benè consuluit nobis: tibi nomen ab illo
Aeternum, addicta est vita, salusque mihi.

Renibus hinc valeo, iecore, intumidoque liene,
Ilia, nec mundum tergus, vt antè, dolent.
Si Venere hic crucior, supra hoc mihi munus abũde est:
Quod potuit salua relligione dedit.

ASparagus abstergendi vim habet, non tamen manifestè calefacit aut refrigerat. Recentes thyrsulos asparagorum in voluptatem gulæ verterunt helluones, & Rauennatibus palmam dedere. Siluestribus tamen cedere scribit Martialis: Asparagi Rauennates.

Mollis in æquorea quæ creuit spina Rauenna
Non erit incultis gratior asparagis.

Asparagi cum vino cocti, lumborum & renum dolores mitigant, vrinas mouent, ventrem emolliunt, iecur & renes infarctu liberant, maximè radices & semen. Earum tamen vsus si nimius fuerit, nõ leuem interdum noxam infert, cùm vrinam citam emittant, vesicamque, quod perniciosum est, exulcerent. Venerem etiam stimulare creduntur. Porrò Asparagi nomen nõ tantùm spinosi fruticis summi cacumẽ, quod edendo est, quodque priuatim cum tota planta asparagus vbique nominatur, significat, sed primum, necdum in folia explicitum plantarum omnium germen. Athenienses non asparagum, sed aspharagum dicere consueuerunt. Quã dialectum secutus Plutarchus, in nuptialibus præceptis ait, Bœotios consueuisse sponsam ad maritum ducere ἀσφαραγώνια, id est, aspharagi spinoso frutice coronatum: vt quemadmodum ex asperiore spina, non ingratus cibus homini asparagus est; sic non fugienti, neque auersanti coniugi primas coniugij difficultates, & si quid minus in vxore tunc placet, dulce & amabile futurum tandem vxoris contubernium.

Asparagus quid. Athenienses asparagum, aspharagum dicunt. Bœotiorum consuetudo.

DE CAPPARIBVS, CAP. XXII.

Soluitur ardenti torpescens flore palatum
Capparis & folio, cumque liene iecur.

FRuctus capparis sale cōfect⁹, ablutus & madefactus, donec omnem exuerit salsedinē, commodū medicamentū est ad languentē appetendi vim excitandam, & ad lienis & hepatis obstructiones aperiendas. Ferunt quoque eos qui quotidie capparibus vescuntur, resolutione neruorum non periclitari, nec lienis doloribus. Stomacho autem inutiles esse, inter auctores conuenit.

De BVGLOSSA ET BORAGINE, CAP. XXIII.

Si tibi Buglossa est succi & Borago tepentis,
Lætus eris, siccum nec tibi pectus erit.

BVglossa calidi est & humidi temperamenti: ideò vino iniecta, præsertim verò flores eius, lætitiam & iucunditatem animi inducit. Borago autem vulgaris, ipsissimum est Buglossum, huius species est, quam officinæ Buglossam vocant.

De MELISSA, CAP. XXIIII.

Cor mihi triste, gelu pectus, cerebrūque rigescit,
Singultit stomachus, grata Melissa veni.
Per te hilaris, redolens, & mundi pectoris, aucto
Súmque calore potens, gratia magna tibi.

MElissa calida est & sicca in secundo: confortatiua est cordis, cuius etiam tremorem aufert, pectus lenit, obstructionibus cerebri confert: concoctionem iuuat, & singultum tollit. Omnibus morbis phlegmaticis, & melancholicis confert. Est autem Melissa seu Melissophyllum facultate Marrubio simile, vt scribit Gal. libr. 7. de simpl. medic. facult. Plurimùm tamen ab eo derelinquitur, vt nullus melissophylli vsus sit, præsente Marrubij copia.

De LVPVLO, CAP. XXV.

Si Lupulum oblectant antra & nemorosa salicta,

Hoc

Hoc facit ingrato sit satis vt Medico.
Frigidus hinc bilem, calidumque arcere cruorem
Est potis, hunc calida & febris anhela timet.
Gratia si magna est illi, tua noxia maior
Est Medice, hoc sanctum qui malè noris olus.

LVpulus subit scanditque salices & arbusta omnia, circunuoluendo se complectitur: quam ob causam lupus salictarius, seu reptitius hodie nuncupatur. Mesue lupulum quartam esse volubilis speciem tradit. Is ægerrimè fert tam rarum lupuli vsum, cùm medicamentum optimū, & ad multa vtile existat. Nec enim veterum vllus lupulum agnouisse videtur, siquidem nullam eius factam mentionem reperies à Galeno, Aëtio aut Dioscoride. Bilem educit lupulus, sanguinem mundificat, & vtriusque humoris feruorem contēperat. Qui ex eo confici solet syrupus, biliosis febribus mirum in modum confert. Ceterùm, teneris lupi salictarij turionibus in acetariis vtimur. Mesue.

DE FLORE SABVCI, CAP. XXVI.

Flos venit hortensi candens ab olente Sabuco,
Hic odor, hic cibus est, mensa decorque tibi.
Non leuis est stomacho, capiti sed amicior, hepar
Hunc amat, & frigens lumbus, in obsoniis.

SAmbucus refrigerandi & exiccandi facultatem habet, (licet Auicennæ calefaciat & exiccet) agglutinandi, & moderatè discutiendi. Flos eius in cibariis sumptus, hepaticis, cardiacis & hydropicis confert: stomacho autem inutilis est. dolori capitis à phlegmate genito medetur. Frutex porrò hic Q. Sereno, nō Sambucus, sed Sabucus dici debet. Q. Serenus.

DE TRIBVLO, CAP. XXVII.

Tribule in vndosis si nate paludibus, alges,

Cur tamen iratæ cornua frontis habes?
Secretas tutamur opes, sub cortice dulcis
Esca latet, dulce hoc nec nisi ab igne datur.
Et mihi ab æthereo numerosa potentia rore,
Me maris & cæli prouida cura fouet.
Languentes vereor fauces, me mandére lumbus
Discupit, vrina huic quum nocuitve lapis.
Ex me mica iuuat, grauidas sed contrahit aluos.
Me miserum, mortis dos mea caussa mihi.

Tribuli genera.

TRibuli duplex est genus, terrestre vnum, alterum aquaticum. Terrestre Theophrasto duplex est, vni folium cicerculæ, alteri aculeatum tribuit. Terrestre quibusdam putatur esse, quod vulgus Chaucetrepe nuncupat. At quod in fluminibus & stagnis nascitur, satis notum est vulgo. Nonnulli saligos, vel castaneas aquatiles, alij treuflas malunt nominare. Tribulus autem ex humida substantia moderatè frigida & sicca constat. Vincit in campestri frigiditas terrea, in palustri verò aquositas. Fructus tribuli terrestris, cùm tenuiũ sit partium, in renibus lapides atterit. Ceterùm Thraces qui ad Strymonem habitant, virentibus tribuli foliis equos saginant: nucleo autem viuunt, panem facientes prædulcem, sed qui ventrem contrahit.

Tribuli natura & facultas

De amaraço, cap. xxviii.

Torrida si neruis, & Amaracus apta cerebro,
Hanc sitiens semper, non minus optet hydrops.
Vrinæ & tumidis reserat spiracula ventis,
Hanc cui sit matrix ægra puella colat.

AMaracum & Sampsychum idem esse ex veteribus cõstat. Habet autẽ amaracus vim discutiendi & tenuandi, in tertio enim gradu calefacit & exiccat. Fit ex Sampsycho oleum quod sampsychinum vel sampsuchinum vocatur,

tur, ad calefaciendos & emolliendos neruos. Caputpurgiis, & iis quæ per nares cerebrum expurgant medicamentis, ἔρρινα Græci vocant, admisceri amaracus solet. Viscosos enim & glutinosos humores è capite elicit. Succus ipsius ad incipientem hydropem potu vtilis, & iis quos vrinæ difficultas aut tormina infestant. Folia amaraci subdita in pesso retardatos menses trahunt.

De serpyllo, cap. XXIX.

Menstrua Serpyllum, vesicæ pondera, tabem
Pectore ab infirmo, subtrahit igne suo.

Serpyllum ita calefacit, vt menses & vrinam ducat, gustu acre est. Tam suaui autem quem ex se mittit odoris halitu, omnes adeò delectat Serpyllum, tamque vno hoc bono vbique sese cõmendat, & amabile facit, vt nunc in vsum condimentarium passim veniat.

De mercuriali, cap. XXX.

Vsta parum vulua duroque innoxia ventri,
Fœmina seu mas sit Mercurialis erit.
Maxima Mercurio laus est, fœmella puellam,
Mas puerum, Venus est quum sociata dabit.

Mercurialis duplex est, mas & fœmina: vtraque calida & sicca existit in primo gradu. discutiendi quoque vim habet. Hippocrates mercurialem miris laudibus in mulierum vsum commendauit, nimirum eam cum melle vel rosaceo, vel liliaceo, vel irino oleis vuluæ admouit, adciendos menses & secundas: eadem ad mouendam aluũ passim vtimur. A Mercurio inuenta est herba hæc, vnde ἑρμοῦ πόα à Græcis, à Latinis Mercurialis dicta est. Mirum est quod de mercuriali tradunt, marẽ efficere vt mares gignantur, fœmellam vt fœminæ. idque accidere si à conceptu, succus per triduum bibatur ex passo, aut folia decocta ex oleo & sale edantur, vel cruda ex aceto, aut si fœminarum genita-

Mercurialis duplex.

In li. de mor. muliebr.

Mirum de mercuriali.

 libus

libus folia trita apponantur. Quarto deinde die vir cum vxore ex balneo redeunte coeat.

De salvia, cap. xxxi.

Vix sicca est calido, stomachũ & cerebella iuuabit
Certa salus tremulis saluia poplitibus.
Dentibus, vrinæ reclusæ; menstrua ducens
Saluia, & in fluidis ventribus apta satis.

SAluia calida est & sicca, leuiterque digerit: ea in multis condimentis vtimur, nec mirum cùm herba salutaris sit. Vnde illud natum est:

Cur moritur homo cui saluia crescit in horto?

Agrippa saluiam herbam sacram vocat. Agrippa herbam sacrã vocauit, vt refert Aëtius, quam prægnantes mulieres si fluidæ laxæque fuerint, vtilissimè comedunt: continet enim conceptum vitalemque reddit. Tradit idem Agrippa leænas saluiam esse ad conceptus facilitatem: Saluia ad conceptum facit. illudque in confesso habetur, fœminas, si succi huius heminam cum modico salis, quadrantem horæ ante concubitum ebiberit, concepturam: aiuntque in Copto Aegypti post pestes sæuissimas ab his qui supersunt, ad eum succum bibendum mulieres cogi, plurimosque inde produci fœtus. Contra paralysim multũ valet, dẽtibus illita prodest, vrinas mouet: cum vino pota commorantes menses trahit, abundantes sistit decoctum eius potum.

De artemisia, cap. xxxii.

Est calida, & capitis frigenti in tormine siccans,
Prouida Parthenidos cui modò nomen erat.
Regia iam facta est, menses reuocatque secundas
Fœmineas, vuluæ sedula in obsequiis.

Artemisiæ genera. ARtemisia duplex est, habitior vna foliis virgisque latioribus, altera verò gracilioribus, flore albo tenui, exiguo, graue olente, qui æstate erumpat. Apud nos tria Artemi-

temisiæ genera inueniuntur: vnum fruticosum absinthij modo, maioribus & pinguioribus foliis, superna parte ex nigro virescentibus, inferna autem cæsiis & multum resectis, in cubitalem altitudinem, aut etiam maiorem excrescit: flos illi albus, tenuis & odoratus: Galli Armoisiam vocant: secundũ genus marinum dicitur, quòd non alibi ferè, quàm in maritimis ortum inueniatur. Tertium simplici caule consurgit, foliis minutim scissis, color illi subpallidus: flos luteus, & odoris non ingrati. Hoc postremum genus quod ferè perpetuum florem habeat, nec citò marcescentem, Athanasia, vulgo autem Tanacetum nuncupatur. Artemisia verò omnis secundo ordine calefacit, & primo exiccat, aut in principio secundi: tenuisque est substantiæ. Extenuandi quoque vim habet, vt scribit Dioscorides. Artemisiam autem dictam putant ab Artemisia vxore Mausoli, quæ sibi hanc herbam adoptauit, cùm prius Parthenis vocaretur. Alij verò ab Artemide nomen accepisse putant, quòd priuatim vitiis muliebribus remedio sit, quibus Artemis, id est, Diana præest. nõnulli olus regium vocant. Artemisia omnis feruefacta conueniẽter additur in sessibus muliebribus ad detrahẽdos mẽses, partus & secundas. In summa, solis vuluæ malis nata videtur Artemisia, paucisque adeò aliis aliarum partium morbis accommodatur.

Artemisia vnde sit dicta.

Parthenis.

De rosmarino, cap. xxxiii.

Dentibus & gelido capiti, tumidisque lacertis,
Et stomacho, ignita est Rosmaris aptus ope.

Libanotides tres sunt, vna sine fructu, & duæ fructiferę. Eandem omnes facultatem habent, molliendi, discutiendi, abstergendi & incidendi. Calefaciunt enim. eam ob causam hebetudines oculorum, quæ ob crassos humores fiunt, emendant. Coronaria autem regio morbo laborantes iuuat, flores sale bene trito oleo & aceto condiuntur, ad voluptatem & salubritatem. Stomachum enim calefaciunt, fluxiones tollunt, & asthmaticis prosunt.

Libanotidis species.

Coronaria.

BAtis herba est salso gustu, & quadantenus amaro : deficcatoriæ & abstersoriæ est facultatis. Duplex est, marina vna, quam Græci κρίθμον, vel potius κρίθαμον nuncupant; Creta marina vulgò dicitur : altera hortensis est, quam Plinius Asparagum Gallicum à quibusdam nuncupari scribit. Columella olus cordum, quasi serotinum dixeris, appellat. Non aliter quàm Plinius fœnum secundatium, seu Autumnale, quod nimirum mense Augusto vellitur, Cordum dici commemorat. Olus hoc satis gratum est, gratioremque corporis colorem facit: quam ob causam nonnulli illud cō diunt. In condiendi autem ratione Plinius & Columella videntur prima fronte dissentire : Plinius enim Dioscoridem secutus, Batim muria asseruari debere scribit: Columella cō trà, oleri huic muriam minùs conuenire tradit. At repugnantia non dicere comperies, si animaduerteris Plinium de Bati marina, Columellam autem de hortensi agere. Estur autem vel cruda, vel cum aliis oleribus cocta. Batis porrò insignis vsus est, ad vrinæ difficultates & stillicidia, necnon ad renum dolores. ad icterum quoque valet.

Batis duplex.

Olus cordum

Cōditura Batis ratio inter Pliniū & Columellam cōtrouersa.

De dracunculo, cap. XXXVI.

Ne vereare tuam si fortè Dracunculus intret,
Stulte liber cœnam, fercula amata feret:
Ignitum stomacho ægroto allatura teporem,
Vesicæ & lumbis non minus apta meis.

DRacunculus duplex, maior & minor, iam satis notus est. vterque aro, cui radice tenus similis est, acrior, amarior, calidior, tenuiorisque est substantiæ: habet acrimoniæ & amaritudini adstrictionem quandam admixtam, qua ratione medicamentum est efficacissimum. Radix dracunculi cruda coctáve sanorum cibis expetitur. Huius natura maximè excalfactoria est, ideoq; stomacho refrigerato perquam vtilis est. Galenus dracunculi radicem, semel, iterumque, aut etiam tertiò decoctam, quò omnem eius medicam vim exueret, interdum ari modo exhibebat, præsertim cùm lenti crassique humores maiore nixu expellendi erant.

Dracunculi species duæ.

De prassio, cap. xxxvii.

Torrida iam veniant, & amari Praßia ſucci,
Splen tumet, & plenis renibus arcta via eſt.
Phlegma, iecur, pectusq; replet, reuocanda puellis
Menſtrua ſunt; hæc ne ſurda ſit auris, amat.

Marrubij duo genera.

MArrubium ſecundo ordine exactè calefacit & exiccat: hoc Græci propter amaritudinem πράσιον vocant. Caſtor duo Marrubij genera tradit, nigrum, quod magis probat, & candidum. Ex vtroque minutim conciſo, & farina ſubacto fiunt offellæ; quibus in patella frictis, in prima menſa ad ſalubritatem vtimur. Praſſiũ hepatis, lienis, & renum obſtructiones aperit: thoracem & pulmonem mundificat: menſes ducit: craſſam pituitam cum iri ſicca educit. Arida eius farina cum melle, ad ſiccam tuſſim vtiliſſima eſt.

De cardvo hortensi, quem σκόλυμον Græci vocant, cap. xxxviii.

Carduus hortenſi cui ſpina eſt mollior arte,
Cui calor eſt modicus, cui tumidusque liquor.
Et ſtomacho & lumbis ſapidus, ſi duxit olentem
Vrinam, os redolet, nec ſapit ala caprum.
Hunc tibi ius præpingue coquat, præſtantior inde
Ibit & in numeros ſic Venus apta ſuos. (eſt,

Vt Scolymus à Cinara differat.

Theophraſtus

SColymus eſt de Carduorum genere: à ceteris ſpinoſis differt, quòd radix eius decocta veſcendo ſit. Aëtius & Aegineta Scolymum à Cinara diſtinguunt, reliquique ferè Græci omnes: idque diſcrimen ſtatuunt, quòd ſcolymus ſit ferus & ſilueſtris, cinara verò donata cultu mitior ſit & altilis: cuius cibus licet ſtomacho ſit grauis, non protinus tamẽ à ſcolymi natura viribuſque degenerauit. Cinaram Græci maximis laudibus extulerunt. Scolymi omnes calefaciunt in fine ſecundi gradus, vel in principio tertij, & in ſecundo ſiccant. Cinara vitioſum ſuccum gignit, præſertim vbi induruerit, tunc enim maximè bilioſus eſt. Theophraſtus radicem

dicem Scolymi tum crudam, tum coctam, cibo gratissimam esse ait, cùm florescit. Paulus verò de Cinara sic scribit: Omnia spinosi generis olera, seu scolymos, attractylis, & id genus reliqua, stomacho cōmoda præter cinaram, quæ prædura succum improbum creat: quare cum oleo, coriandro decoctum præstabit cibis exhibere, quasi cum iis rebus coctura leuiter hanc noxam amoliatur. Nostrates cum salsamento ex pipere & vino cinaram mandunt. Ipsa vrinam copiosam detrahit & fœtentem; odorem oris commendat, alterum graueolentiam corrigit. Eam ob causam Dioscorides in alarum totiusque corporis graueolentia iubet illini. Xenocrates quoque experimento tradit, vitium ex alis, eius vsu, per vrinam effluere. Venerem ex scolymo seu cinara in vino decocta, stimulari testatur Hesiodus, qui florente ea cicadas acerrimi cantus esse, & mulieres libidinis auidissimas, virosque ad coitum pigerrimos scribit. Paulus Aegi. Spinosa olera omnia quale alimentum, & quem succum creent. Dioscorides. Hesiodus.

De absinthio, cap. XXXIX.

Terribiles perdant siccata Absinthia succos,
His furere in stomachum docta, caputq; meū.
Ni tamen hinc noceant, suaui mihi grata tepore,
Et stomacho, & tussis prouida poplitibus.
Hæc iecoris reserant fibras, his renibus amplū est
Curriculum, hinc siccus nec sitibūdus hydrops.
Et tineæ, & rabidi fugiant absinthia vermes,
Tutari tunicas iam didicere meas.

Absinthij genera sunt plura, vulgare seu Ponticū, quòd à Ponto veniens, ceteris multò est præstantius. Alterum marinum, quod Seriphium nuncupatur, nomenque à Seripho insula accepit. Tertium quod in Alpinis Galliæ, secus Santones nascitur, Santonicum dicitur. Absinthium primo gradu calefacit, tertio exiccat. Succus herba multò calidior est. Particeps verò est absinthium, præcipuè Ponticū, adstrictionis non vulgaris: ideò abstergit, roborat, exiccat: acris quoque est, vnde capiti & stomacho dolorem infert: ideoque in potionibus improbatur. Absinthium stomachum corroborat, ob id sapor eius in vinū transfertur, Absinthij species plures.

quod

quod Absinthitem vocāt. At matinum stomacho infensum est. Biliosos humores absinthium per secessum & vrinas ducit: magisque quod biliosum intra venas fuerit, à toto expurgat. valet etiam ad neruorum resolutionem. obstructiones hepatis aperit. vnde in regio morbo eius madefacti dilutum, aut decoctum salubriter bibitur. idem præstat vinum quod ex eo factitatur: confert quoque hydropi & lienosis, vrinā mouet. Quæ in interaneis gignuntur & aluntur animalia, absinthium sua amaritudine pellit. Tantæ enim est amaritudinis, vt vix succum eius quis audeat bibere. Vnde absinthium quasi apinthiō dicitur: vel ἀπὸ τοῦ ἅψεσθαι, quod tangere est, ex aduerso à Græcis nomen deductum est, quòd nullum animal, ob eximium illius amarorem, hanc herbam attingere audeat.

Absinthium vnde dictum.

DE ABROTONO SEV ABROTANO, CAP. XL.

Abrotanum Siculis missum mihi nuper ab oris,
Cui calida & sicci roris amarities.
Antidotum est stomacho, & cōtusis nobile neruis:
Nunc valeo: obstrusum cui femur, illud edat.

Abrotonum duplex.

ABrotonum duplex est, fœmina arboris specie fructicans, quod genus Siculum esse constat: alterum mas vocatur, sarmentosum gracilibus ramulis, vti absinthium plurimum in Cappadocia gignitur, & Galatia Asiatica, atque in Syriæ Hierapoli. Abrotonum Auicennæ calidum est in primo, & siccum in secundo: Galenus verò, Aëtius & Aegineta, calidum & siccum in tertio ordine esse tradiderunt. nec minus digerentis, & in tertio ordine incidendi potētiæ existit. Sed non in eo solùm ab his auctoribus dissentit princeps Auicennas, sed in eo etiam, quòd hi Abrotonum minimæ adstrictionis particeps esse scribant, & propterea stomacho nocere: ille verò cum oleo decoctum Abrotonum, stomachum calefacere, eiusdemque refrigerationi mederi tradit. In eo autem quòd neruis apprimè vtile sit, omnes consentiunt.

Auicenna à Galeno, Aëtio & Aegineta in abrotoni qualitate dissentit.

DE PIMPINELLA, CAP. XLI.

Vesicæ lapides si Pimpinella remollit,
Ignita est, iecori sana lienque tibi.

PImpinellæ, quę etiam bipēnula, aut pampinula dicitur, vis calida & sicca inest: difficilius concoquitur, in acetariis tamen quotidiè estur, ea iucundo peponis odore commendans. Mandi solet sale, oleo, & aceto parata, quo etiam modo condiri & seruari debet. Pimpinella iecoris fibras aperit, stranguriam leuat, & calculos, vt saxifragia, terit & comminuit.

DE ANETHO, CAP. XLII.

Ne tua odoratum conuiuia fallat Anethum,
Igne tuis neruis, torminibusque potens.
Inuisum est, moneo, stomacho, nec parcit ocellis,
Vbera ab hoc pleni munera lactis habent.

ANethum, inquit Galenus lib. 6. de simpl. medicam. facult. adeò excalfacit, vt habendum sit, aut secundi ordinis intensi, aut tertij remissi. exiccantium verò est secundi gradus, aut primi desinentis. Galeno subscripsere Aetius & Aegineta, qui in secundo ordine intensè anethum calefacere scribit, siccare verò remissius; vstum autem in tertio ordine calefacere & exiccare. Quibus Auicennas videtur esse contrarius: sic enim loquitur: Calefactio anethi est inter secundum & tertium, exiccatio verò inter primum & secundum: & cùm aduritur, fit eius exiccatio in secundo gradu. Anethum (ait idem Auic.) est maturatiuum, dolorum sedatiuum, carminatiuum ventositatum. Hæc enim omnia præstare eius oleum comperitur: siquidem intestinorum tormina potenter sedat, neruorumque tensiones relaxat. Si assiduè quis anetho vtatur, debilitari, adeoque hebetari sibi visum sentiet, & stomacho noxā inferri: ructus enim mouet. Nonnulli tamen scripsere, stomachum & concoctiones anethum iuuare, genituram anethum extinguit, sed in sorbitionibus exhibitum lac auget, & abundare facit.

Auicenna aduersatur Galeno, Aëtio & Aeginetę, in qualitate anethi.

LIBRI SECVNDI, SECTIO QVARTA, DE RADICIBVS.

Olerum quæ in vsu frequentiore apud nos esse solent, non in alēdo tantùm vires & facultates, sed etiam eorundem plurimum in medicinis vsum hactenus exposuimus: superest vt de radicibus agamus.

De cepa, cap. I.

Quid tibi cum Hippolyto liber aduersate paternis
Admonitis semper? culpa luenda tibi est.
Crudele admissum hoc, & detestabile munus,
Væ misero, in lacrymas te rapit assiduas.
Cepa tibi est munus, caput inflatura lutoso
Igne & rore malo, iam spuere incipias.
Si stomacho obsequitur, clamosæ assuescere discant
Ora siti; obtusum hinc corruat ingenium.
Vesicæ & Veneri si grata, hæmorrhois inde
Effluit: ô magni muneris Antidotum!
I, sine me in pœnas temerarie & improbe tātas,
Quam vellē horridior, quod rubra missa foret.
At bene consultum est vobis, tu rusticus oras
Munera: Cepa datur: saxeus exhibitor.

Cepa vnde dicta.

Cepe vel cepam à capitis magnitudine dictam volunt, Græcè κρόμμυον, quòd oculi pupillam comprimi cogat, Aristoteles in problematis vocari tradit. Nam oculos vellicando, expressis subinde lacrymis oculorum, pupillas contrahi certum est. idem refert Athenæus. Mirum fortasse alicui videbitur, quòd cepa siue comesta, siue oculis admota, lacrymas statim moueat & excutiat: nasturtium autem vel allium, quæ vehementiorem in se mordicationem habent, id efficere minus apta sint. Is autem mirari desinet, ea duntaxat calida & humida, quæ acremento & lentore participant, lacrymas mouendi vim habere. cuius generis est cepa.

Cepa cur lacrymas magis moueat, quā nasturtium aut allium.

pa. At nasturtium aut allium, cepa longè calidiora & acriora, humorem quidem continent, sed non lentum: & cùm natura calidiore prædita sint, id exiccant quod colliquarunt. Et verò siccitas quæ illis multa inest, facit vt nullum emittant vaporẽ, qui lacrymas excutere valeat. Cepa rufa acrior est quàm candida, sicca quàm viridis, & cruda quàm cocta. Hippocrates cepam visu magis, quàm esu commendauit; asserens visu non nocere: at in corpus assumptam malã esse. Stomacho enim primùm inutilis est cepa, & fastidium ei infert, sitimque mouet. si tamen stomachum & debiliorem & frigidiorem nanciscatur, ipsum confortat. Mentem cepa lædi nonnulli scripserunt. Dioscorides quoque copiosiores in cibo cepas, capitis dolorem facere testatur. Idem cepas omnes cupiditatem Veneris adferre refert, & vrinas vehementius exigere: eadem contusa & superimposita, hæmorrhoides aperit. Porrò cepulam, à cepa diminutiuum fecit Apitius. hoc genus diuersam à ceteris naturam sortitur; Galli cebulas, aut ciboulas, & ciuones appellant. Hippocrates. Cepula.

Cum Hippolyto.] Quod de Hippolyto, qui paternis præceptis obtẽperare recusauit, tale est: Hippolytus filius Thesei & Hippolytæ Amazonis, Phædræ nouercæ (quòd eius libidini parêre recusasset) insidiis petitus pœnas luit, vt scribit Seruius. Rogatu enim patris, propterea discerptus fuit: nã iratus Theseus pater, inuocauit patrem Aegeum, vt Hippolyto currus agitanti, immitteret Phocam; qua territi equi currum ruperunt, Hippolytumque discerpserunt.

De Allio, cap. II.

Si quod cœna sapis, minimũ est insulsa: quid optas
Horrida cum exustis Allia verticibus?
Hæc graue olent, capiti nec conuenientia ocellis,
Pulmoni, & raucæ sint licet apta gulæ.
Hæc vt noris edas, quantas prorumpet in iras
Vesica, & venter depositurus onus.

ALlium quarto ordine calefacit & exiccat, Galeno, Aeginetæ & Aëtio: Auicennæ autem calidum modo & siccum est in tertio, vsque ad quartum. Tædiosa autem sunt allia vt cepæ odore & halitu. Hippocrates in lib. de rat. vict. in morb. acut. allium capitis grauitatem facere scribit. huic subscri- Allij qualitas, in qua nõ cõuenit Auic. cum Gal. Aëtio & Aegin. Hippocrates.

ſubſcribit Auic. aſſerens allium facere ſodam. Galenus verò Hippocratis modò citatam ſententiam exponens, ait Hippocratem, ſeu illius libri auctorem, minus diſtinctè ea in

Dioſcorides. parte locutum eſſe. Dioſcorides allia oculis officere, & aciē oculorum eſu hebetare aſſerit: cui ſatis aſſentiri videtur Auicennas, ſcribens eadem viſum debilitare, & attrahere bethor, i. variolas (ſic enim exponit Bellunenſis) in oculum. Quibus accedit etiam Plinius. At Hippocrates ait, allium

lib. de diæta. oculis vtile, ventris deiectionem moliri, viſus hebetudines delere, aliaque multa præſtare. Porrò allia tuſſi antiquæ, & doloribus pectoris ex frigore contractis, conferunt. Vocem etiam acutiorem & clariorem reddunt: vrinam prouocant, aluumque conturbant, Dioſcoridis teſtimonio. Diocles phreniticis elixum, hydropicis cum centaurio, aut in duplici fico, ad euacuandam aluum dabat. quod efficacius præſtat viride, cum coriandro mero potum.

DE ASCALONIIS, CAP. III.

Cœna mihi ſcitè eſt actum, Aſcalonia tardè
Ieiunis veniunt deſtituenda coquis.
Illos calfaciant, hebeti repleantque liquore,
Vtque minus noceant illa recocta vorent.

Aſcalonia vnde dicta. AScalonia de genere ceparum exiſtunt, ab Aſcalone Palæſtinæ ciuitate, quam Aſcalus Hymanęi filius condidit, ita dicta. Peculiaris eſt autem eorum natura in eo quòd ſola fiſſa, & velut ſterilia ab radice ſint, nec parte illa craſſeſcant, ob id illa ſemine feruntur. In reliquis verò cepis natura prorſus ſimiles ſunt. Cepæ autem, allia, & ſimilia acria, præſtantiora in cibis futura ſunt, ſi bis térve elixa fuerint: acrimoniam enim, & quod viroſum illis ineſt, malúmque ſuccum deponunt. Abſtinendum eſt autem in vniuerſum, ab aſſiduo acrium omnium vſu, & poriſſimum cùm is qui ipſis veſcitur, natura fuerit bilioſus. Solis enim, qui vel ſuccum pituoſum, vel crudum & craſſum ac lentum aceruarint, cibi eiuſmodi ſunt accommodati.

DE PORRO, CAP. IIII.

Tabida cui curæ pulmonis membra & anhelum
Pectus, eum porri torrida cœna vocet.

Cu-

Cura mihi est stomachus, placidißima sonia, dẽtes,
Bis licet elixum, non tamen illud edam.
Hoc colat ingratæ cui fœmina cura colendæ,
Quique nec adstrictis renibus esse velit.
Munera non tanti Veneris pensantur, vt aluo
Postposita, irati tormina ventris amem.

POrrum calidum est in tertio ordine, & siccum in secundo. Cum aqua hordei aut melle asthmati confert, et materia crassa orto. Confert quoque pulmonis apostematibus maturandis, eiusdem vlceribus. veterem tussim sanat: cũ ptissana coctum pectoris excreationes adiuuat, quadantenus enim abstergit: vocem grauem explicat, sua lenitia faucium asperitatem deliniens. Nimius porri vsus capitis dolores facit, mala somnia proponit, dentes & gingiuas corrũpit. Acrimoniam porrum deponere Galenus asseruit, si bis coquantur, vt in fine superioris capitis diximus. Et certè porrorum vsus perquàm salubris censetur, si tantisper incoquãtur, dũ in tabem ferè resoluantur; quippe non minus quàm carnes alere creduntur.

Hippocrates porrũ sine alia mistura dari iubet, vuluas cõtractas aperiri, & fœcunditatem fœminarum hoc cibo augeri putat. Venerem etiam stimulat, vrinam mouet, & aluũ mollit. Eius tamen capita bis cocta, aqua mutata aluum sistunt: ebrietates discutit, tenasmo confert, vesicæ autem & renibus vlceratis nocet, vrinæ enim liquorem acuunt. **Hippocrates.**

RAPHANVS, ῥαφανίς. ET ARMORACIA, CAP. V.

Hinc eat, aut Raphanus postremò accũbat in orbe,
Mensa magis sapida si sit onusta dape.
In caput & dentes, limosoque igne in ocellos
Sæuit, & hinc stomachus nauseat aßiduè.
Morchio eum colat, & fungi cui cura Nicander,
Quæque amat æternas fœmina pulchra comas.

ESt Raphanus satiuus, est & siluestris, quem Armoraciã Italia rerum antiquarum parens, adhuc nominat. Plu- **Raphani genera duo.**

ra sunt raphani genera: de quibus vide Plinium & Theophrastum. Raphanus autem tertio gradu calefacit, & secundo exiccat. Raphanus postremo cibo sumptus, alui deiectionē molitur, & facit cibum penetrare (vt Auicennæ verbis vtar) ante cibum verò facit cibum natare, & non quiescit, & propter hoc facilem efficit vomitum. Capiti nocet Raphanus, dentibus, quòd eos atterant, palato, oculis & stomacho, in eo scilicet ructus excitando, vnde vomitiones potentissimè mouet. Contra fungorum & boletorum venena salutaris est raphanus. Hippocrates capillos mulierum defluos, raphanis fricari iubet.

DE INVLA SEV HELENIO, CAP. VI.

Feruida contusis superinducenda lacertis
Est Inula in gelidis sedula torminibus.
Pectora, cor, lumbosque fouet, si mansa cerebro
Est grauis, vrinam non malè grata ciet.

INula seu Helenium calida est & sicca, cum humiditate incidere valenti. Præcipuus est autem huius radicis vsus. Helenium autem seu Inula, quam omnes nunc Enulam Campanam appellant, ruptis conuulsis, inflationibusque, adhæc lumborum & coxendicum doloribus medetur. Eclegmatis, ad crassos lentosq; humores, è pectore & pulmone per screatum ducendos, enula vtiliter admiscetur. Cor etiam mirum in modum confortat. Vnde natum est illud, quod vulgò dici solet:

Enula Campana reddit præcordia sana.

Dolorem capitis creat. Est tamen ad hemicraniam, potissimum verò phlegmaticam vtilis.

DE RAPA ET NAPIS, CAP. VII.

Sunt calida & rigido gaudentia frigore Rapa,
Humidus hinc illis turgidulusque liquor.
Gloria Nursinis, sitientes cedite Napi,
Educet ipse licet vos Amiternus ager.
Cùm sapiant Veneri magis, hæc si crassa & obesa,
Cœna ea postremò lenta sub orbe ferat.

RApa, sinapi, radicula, aliaúue calida, plantam quidem aridam habent, cymam verò humidam. Naporum eadem ferè cum rapis natura. Athenæus & Pollux Mantinea rapa maximè commẽdatunt: alij verò palmam Nursinis dedere. Sic Romæ in summo pretio habebantur napi Amiterni: secundus dabatur locus Nursiis seu Nursinis. Ceterùm, tum rapa, tum napi excrementitia sunt, & difficulter concoquuntur, vt olerum omnium radices: inter quas rapæ sunt aduersissimæ: succum enim crassiorem gignunt, quem crudum appellamus. Ipsa verò cùm flatulenta sint, Veneris cupiditatem accendunt. Rapa Mantinea. Napi Nursini

DE PASTINACA ET STAPHYLINO, CAP. VIII.

Si venit humescens culto Staphylinus ab horto,
Feruenti & sapido plena rubore sapit.
Ista licet stomachum, vel bis decocta, lacessat,
Et coitum inflato rore superba ciet.
Si coquus & pipere, & melliti munere mulsi
Condiat, & stomacho grata erit & Veneri.
Candida nec montana placet, cui lumbus, & arctũ
Est femur, errantem, cùm magis vrat, edat.

PAstinaca duplex est, satiua, quam carotam vocant, & silueſtris σταφυλῖνος Græcis dicta, à quibusdam verò Daucus. Pastinacæ vis omnis in radice est: vtraque difficilis est concoctionis, exiguumque & crassum alimentum corpori suggerit. calefaciunt insigniter, & aromaticum quid habent. Pastinaca stomacho, hepati & spleni aduersatur: venerẽ inter cetera maximè stimulat. Pastinacæ erraticæ sẽmen tritũ, & ex vino potum, tumentem aluum, & suffocationes mulierum, doloresque lenit, in tantum vt vuluas corrigat. lumborum vitiis subuenit. In summa, pastinaca agrestis est ad omnia domestica valẽtior, eius enim est etiam natura calidior. Ceterùm, rationem condiendæ pastinacæ & cariotæ vide apud Platinam cap. 15. lib. 5.

DE TVBERIBVS, CAP. IX.

Terrea ferte aqueoque madentia tubera rore

ra sunt raphani genera: de quibus vide Plinium & Theophrastum. Raphanus autem tertio gradu calefacit, & secundo exiccat. Raphanus postremo cibo sumptus, alui deiectionē molitur, & facit cibum penetrare (vt Auicennæ verbis vtar) ante cibum verò facit cibum natare, & non quiescit, & propter hoc facilem efficit vomitum. Capiti nocet Raphanus, dentibus, quòd eos atterant, palato, oculis & stomacho, in eo scilicet ructus excitando, vnde vomitiones potentissimè mouet. Contra fungorum & boletorum venena salutaris est raphanus. Hippocrates capillos mulierum defluos, raphanis fricari iubet.

DE INVLA SEV HELENIO, CAP. VI.

Feruida contusis superinducenda lacertis
Est Inula in gelidis sedula torminibus.
Pectora, cor, lumbosque fouet, si mansa cerebro
Est grauis, vrinam non malè grata ciet.

INula seu Helenium calida est & sicca, cum humiditate incidere valenti. Præcipuus est autem huius radicis vsus. Helenium autem seu Inula, quam omnes nunc Enulam Cāpanam appellant, ruptis conuulsis, inflationibusque, adhæc lumborum & coxendicum doloribus medetur. Eclegmatis, ad crassos lentosq; humores, è pectore & pulmone per screatum ducendos, enula vtiliter admiscetur. Cor etiam mirum in modum confortat. Vnde natum est illud, quod vulgò dici solet:

Enula Campana reddit præcordia sana.

Dolorem capitis creat. Est tamen ad hęmicraniam, potissimum verò phlegmaticam vtilis.

DE RAPA ET NAPIS, CAP. VII.

Sunt calida & rigido gaudentia frigore Rapa,
Humidus hinc illis turgidulusque liquor.
Gloria Nursinis, sitientes cedite Napi,
Educet ipse licet vos Amiternus ager.
Cùm sapiant Veneri magis, hæc si crassa & obesa,
Cœna ea postremò lenta sub orbe ferat.

RApa, sinapi, radicula, aliaúue calida, plantam quidem aridam habent, cymam verò humidam. Naporum eadem ferè cum rapis natura. Athenæus & Pollux Mantinea rapa maximè commēdarunt: alij verò palmam Nursinis dedere. Sic Romæ in summo pretio habebantur napi Amiterni: secundus dabatur locus Nursiis seu Nursinis. Ceterùm, tum rapa, tum napi excrementitia sunt, & difficulter concoquuntur, vt olerum omnium radices: inter quas rapæ sunt aduersissimæ: succum enim crassiorem gignunt, quem crudum appellamus. Ipsa verò cùm flatulenta sint, Veneris cupiditatem accendunt. Rapa Mantinea. Napi Nursini

DE PASTINACA ET STAPHYLINO, CAP. VIII.

Si venit humescens culto Staphylinus ab horto,
Feruenti & sapido plena rubore sapit.
Ista licet stomachum, vel bis decocta, lacessat,
Et coitum inflato rore superba ciet.
Si coquus & pipere, & melliti munere mulsi
Condiat, & stomacho grata erit & Veneri.
Candida nec montana placet, cui lumbus, & arctũ
Est femur, errantem, cùm magis vrat, edat.

PAstinaca duplex est, satiua, quam carotam vocant, & siluestris σταφυλῖνος Græcis dicta, à quibusdam verò Daucus. Pastinacæ vis omnis in radice est: vtraque difficilis est concoctionis, exiguumque & crassum alimentum corpori suggerit. calefaciunt insigniter, & aromaticum quid habent. Pastinaca stomacho, hepati & spleni aduersatur: venerē inter cetera maximè stimulat. Pastinacæ erraticæ semen tritũ, & ex vino potum, tumentem aluum, & suffocationes mulierum, doloresque lenit, in tantum vt vuluas corrigat. lumborum vitiis subuenit. In summa, pastinaca agrestis est ad omnia domestica valētior, eius enim est etiam natura calidior. Ceterùm, rationem condiendæ pastinacæ & cariotæ vide apud Platinam cap. 15. lib. 5.

DE TVBERIBVS, CAP. IX.

Terrea ferte aqueoque madentia tubera rore

Alba, famescentes sint nigra vestra coqui.
Vltima sint nostræ post pulmentaria cœnæ,
Mixta sit in nostris vt Venus ipsa iocis.
Si turgent, æquum est: vētosa tonitrua & imbres
Hæc genuere: piper Chiaque vina bibam.
Sic faciles stomacho sunt adducentia chymos,
Nec vesica tumet, nec dolet Iliacus.
Cui caput obtusum, & triste est, mollesq; lacerti,
Exeat, his tantum tubera cœna negat.

Tubera quæ.

TVbera radicibus aut bulbis sunt annumeranda. Sunt autem tumentis terræ calli, & quidam prægnantis arenæ fœtus, siccis in locis sine vllo caule prouenientes, nullisque radicis nixi capillamentis. Scribit tamen Iulius Cæsar Scaliger, ex Moraxi castelli agro ad illum allata tubera, in quibus vnum se inuenisse asserit cum stipite & oblongo foliolo: quod in thesauris Musæi sui se asseruare ait. de generatione autem horum hæc traduntur: Cùm fuerint imbres autumnales, & tonitrua crebra, tunc maximè tubera nascuntur: & potissimum è tonitru. Cuius rei causam Plutarchus reddit quarto Symposiacorum volumine, aitque erũpentes vi tonitrus aquas feraces esse fœcundasque: nihil impræsentiarum adduci potest euidentius, cuius causam permistionis igni refert acceptam. Qui Numidiam peragrarũt, aiunt tam crassa nasci, vt cidonij magnitudinem superent. Conuha vocant incolæ, Arabes delicatius tzema. Candidissima esse pulpa & suauissima, dulcore sacchari & pingui traduntur. Fortasse fuerint ea quæ ex gulonum commendatione canit Iuuenalis:

Iulius Cæsar Scaliger.

Cur tubera è tonitru & imbribus Autumnalibus nascantur.

Et facient lautas optata tonitrua cœnas.

Tuber quale alimentum.

Tubera ergo distinguntur colore, extra rufo nigroque & intus candido. Tuber leniter crassi, non autem praui succi est. Diphilus tubera concoctu contumacia esse scribit; sed vtilē parere succum, aluum læuigare, & ventris recrementa ciere. Galenus quoque multum alimentum præstare confirmat, & Venerē excitare languentem. Ceterùm, tubera vino lota, sub cinere calido coqui debent. Cocta & munda, saleque ac

pipere conſperſa, calida adhuc, poſt carnium eſum, conuiuis apponi oportet.

De fungis, cap. x.

Biſſenos poteras irritamenta malorum
Ferre liber fungos. Cura ſit iſta coquo.
Vndenos ſatis eſt ſubire putredinis vdos,
Dicere frigentes eſſe grauesque nimis.
Hi tamen inter ſe cùm diſtent, Claudius edit
Coniuge boletos dante magis nocuos.
Si placeant, rabidi caueas contagia ferri,
Cumque venenatis putrida quæque locis.
Quisque nocet capiti & ſtomacho. caligine ſenſus
Velat, & eſt cordi pernicioſa lues.
Nique ſalutiferi medicamina pura falerni
Hauſeris, vrinæ vix erit apta via.
Funge vale, genitum nil miror nocte ſub vna.
Sic properant rabido noxia quæque pede.

Fungorum multa ſunt genera: alij ſunt Merulei, fuſci, campeſtres, arborei, alij quos crepitus lupi vulgus noſtrum appellat: ij nullo pacto manduntur. Sunt etiam boleti, amanitæ, ægiritæ, ſuccinei, ſuilli, quod poſtremum genus veneno accommodatiſſimum eſt. Hoc enim Serenum Neronis præfectum, & milites quoſdam periiſſe tradunt. Recentiores alia nomina fungis dedere, Ouatos nuncupantes, ab oui ſimilitudine: ſpongiolos, à ſpongioſa laxitate: digitellos, quòd digiti tum magnitudinem, tum figuram habeãt: porriginoſos, à porrigine: peucas, quaſi ſeſſiles, & pediculis carentes. Laciniæ è caſtanea orti fungi dicuntur: ſpinuli ſeu cardeoli, è rubis & carduis nati. illi innocentiſſimi ſunt. Imbribus autem, vt tubera, proueniunt. Fungorum omnium frigida eſt & humida natura: immò ad deleteriam & enecãtem facultatem proximè accedit. Et ex eorum quidem genere, qui putredinoſam aliquam qualitatem admixtam habent, confeſtim interficiunt. Tutior horum eſus creditur, ſi pyra ſilueſtria cum his coquantur, quòd eorum exitiale vi-

Fungorum differentiæ.

Fungorum natura.

rus trahant. Corpori quidem alimentum ſuggerunt;ſed ægrius diſſoluuntur. Interdum enim ipſi integri cum alui excrementis reiiciuntur. Dioſcorides fungorum duo genera facit,aut enim (inquit) manduntur,aut pernicioſi ſunt. Primas autem inter fungos tenent Boleti: ſecundum locum habent Amanitæ. reliquos tutius eſt ne attingere quidem. Boleti autem dicuntur à Bolo, id eſt, rubrica illa qua pictores aurum operibus ſuis inducunt, quibus colore tenus ſimiles ſunt. Claudius Romanorum imperator, Caligulæ patruus, cùm Britanniam inſulam in deditionem accepiſſet, Romanoque imperio Orcadas adieciſſet, tandem ab vxore Agrippina boleto venenato ſublatus eſt, vt Nero filius imperio potiri poſſet. Venenati autem fungi dignoſcuntur diluto rubore, rancido aſpectu, liuido intus colore, rimoſa ſtria, pallido per ambitum labro. Pernicioſa prorſus improbanda: ſi enim caligaris clauus, aut panni macror, ſi ferri vel chalybis aliqua rubigo adfuerit, omnem illicò ſuccum, alienumque ſaporem in venenum decoquunt. aliàs ſuauem in iuribus gratiam habent. Largius tamen ſumpti nocent, & ægrius cócocti ſtrangulant, aut choleram morbum inuehunt. In ſumma, fungi omnes peſſimi ſunt, quouis modo coquantur & parentur. Etſi gulæ ſatisfaciant, ſtomacho enim faceſſunt negotium, ſiquidem difficulter, vt modò diximus, concoquuntur. Apoplexiam quoque inducere nonnulli ſcripſerunt. Hoc Galenus in hiſtoria cuiuſdam, qui boletos non ſatis elixos comederat, ſatis approbare videtur: Huic, inquit ipſe, ſtatim os ventriculi preſſum, grauatum & coarctatum fuit: difficilemque habuit reſpirationem, & in animi deliquium incidit, ſudoremque frigidum ſudauit, ac demum ægrè ſeruari, iis quę craſſos humores incidũt ſumptis, potuit. Periculoſiſſimus equidem eſt is cibus, ex ea quam habent cũ venenis cognatione: vnde eos qui à funere fungos deflecti volunt, non falli in eo iudicauerim. Vt verò ij nihil aut ſaltem minus noceant, in ſtomacho mero generoſiſſimo incoqui debent. Vinum enim venenis omnibus antidotus eſt præſentiſſima, quæ refrigerando nocent. Quæ autem his qui ex fungorum eſu malè habent, conueniant, lege apud Dioſcoridem. Ceterùm, Plinius boletis ortum & occaſum eſſe intra ſeptem dies ſcribit.

Boleti vnde dicti.

Claudius boleto periit.

Venenati fungi quibus notis dignoſcãtur.

Fungi à funere dicuntur.

lib.6.cap.23.

DE FVNGO LYNCVRIO, CAP. XI.

Vltimus exposcit primos sibi Lyncis honores
Fungus honoratus dignus adire dapes.
Igneus est, iecori, & renum medicina lapillo,
Vesicæque datur, prandia grata gulæ.
Quòd lapide est ortus forsan mirabere? mirum,
Grandius est, lapidem mox alit ille suum.

ORitur è saxo seu lapide Lyncurio, siue Lynceo, vulgari voce dicto fungus admirabili natura. Præciditur hic in esum & alius subnascitur anno toto. Pediculi pars relicta, duratur in silicem, atque ita crescit. lapis restibili fœcunditate. Nullus antiquorum, sed nec recentiorum, quos legerim, excepto Barbaro, huius fungi vires descripsit, immò ne meminit quidem. Ceterùm, quanto fungi genus hoc bonitate ceteros vincat, videant gulosi & probent, ijque qui nullum non edulij, sed ne veneni quidem genus quo gulæ suæ satisfaciant, intactum relinquunt. Alimentorum, quæ abundè tellus nobis subministrat, rationem absoluerimus, vbi de fructibus variis arborum dixerimus: eorum ergo in alendo vires, quemque succum in corpore singuli gignant, videamus. Hermolaus Barbarus.

LIBRI SECVNDI, SECTIO QVINTA, DE ARBORVM FRVCTIBVS.

DE FICVBVS, CAP. I.

Igne tepet modico, primoque est tempore ficus
Mollior, vrenti mox sitit igne magis.
Candida purpureis nigrisque est gratior, omni
Pinguior hæc fructu est, vberiusque fouet.
Si noua sit, nocua est stomacho, & descēsibus apta
Effluet, ardenti ni sociata nuci est.
At siccata aperit, sordesque potentius effert,
Nec minus ista mali sanguinis esse solet.

Frigida membra calent Ficu, præcordia lenit
Et caput, hanc primam mensa liberque ferant.

Ficus temperamentum.

FIcus arbor est calidi tenuisque temperamenti, adeò vt liquor, & foliorum succus non rodat modò aut abstergat vehementer, sed etiam exulceret, ora venarum aperiat, & myrmecias exterat. Ficus aridi fructus, in secundo ferè gradu siccant, & in fine primi, aut principio secundi calefaciunt. virides autem imbecillioris sunt virtutis. Quinetiam acrem calidamque auram ac digerentem ficus ipsa exhalat.

Prodigiosa duo ex ficu.

Inde duo illa prodigiosa naturæ miracula, quæ Plutarchus in Symposiacis commemorat. Alterum tauros quamlibet indomitos & feroces, fico alligatos cicurari, & immobiles conquiescere: alterum verò cæsorum animaliū carnes perquàm celeriter tenerescere, & fragiles effici, quæ in fico pependerint.

Ficorum genera. cap. 18.

Plinius naturalis historiæ lib. 15. ficorum genera 29. enumerat. Plura quoque tecenset Macrobius ex Cloatio lib. 3. Saturnal. cap. 20. Dioscorides duplex duntaxat genus fecit, satiuum vnum, alterum agreste. Anicēna tria ficorum genera statuit, album, purpureum seu rubrum, & nigrum.

lib. 2. cau. tract. 2. c. 28.

Melior & præstantior est ficus alba, secundum locum habet purpurea: his nigra deterior est.

Ficus inter fructus autumnales primas tenent, & earum alimentum. Gal. lib. 2. de alim. facult.

Ficus & vuæ, vt inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, & minimum praui succi habent, maximè verò si exactè maturuerint. Cuius rei fidem faciunt ij, qui vinearum fructum custodiunt: qui cum duos menses solis vuis & ficubus, quorum custodiæ præficiuntur, vescūtur, nisi fortasse panis nonnihil cum illis edant, corpulenti tamē admodum fiunt. Licet caro quæ ex his gignitur laxior & præhumida, vt ex fabarum esu existat. Immò Athletæ vires hoc cibo aluere, prius quàm Pythagoras exercitatos eos transferret ad carnes. Fici naturæ recentes stomachum lædunt, aluum soluunt, sed facilè contracta ab eis fluxio sistitur. Galenus lib. de attenuante victus ratione, sic scribit: Ficus recentes, & quæ nondum satis maturuerunt, frigidę sunt & flatulentæ, crassumque succum gignunt. Humidas esse, plurimamque aquam continere refert, loco superiùs citato Auic. Ficus cum nucibus sumptæ, cibi probatissimi sunt: itē & cum Amygdalis. Sed cum his obstructionis aperiendæ, & abstergendi gratia sumūtur, neque adeò probum succum præstant, nutriuntque, vt cùm miscentur cum nucibus, cum

quibus

quibus ad omnia habentur præstantiores. Nonnulli de lethaliũ venenorũ curatione scribentes, caricas cũ ruta nucibusq; præsumptas, venenis vniuersis aduersari testãtur. Caricæ autem tenuandi & incidendi facultatem habent, qua vẽtrem ad excretionem irritant: renesque expurgant, flatum tamen & improbum sanguinem faciunt, si in crebro vsu fuerint, pediculosque pariunt. Ficus dolores capitis mitigant, comitialibus conferunt, torminibus & præcordiorum doloribus. Guttur pectusque catarrho exasperata leniunt: varios denique in medicina vsus habent, quos omnes exponere huius non est instituti: ea enim hoc opere modo inquirimus, quæ ad sanitatem spectant. Ceterùm, prima mensa sumi debent ficus, quòd ventrem promptè permeent. Nam qui post cibum succi crassi caricas ficusve mandunt, nõ mediocriter offenduntur. Ab earum verò esu, vini potus admodum vtilis est, vt succi earum prauitatem & flatum suo calore discutiat, & vt promptè recrementa ventris exigantur. Et verò crebriore & largiore potu ab eo cibo vtendum esse dubium non est, vt huius munere non immorantes, sed ad imos intestinorum sinus raptæ ferantur. Vel amant ficus vini potum, quòd vnius Liberi tam ficus quàm vuæ inuẽtum sit. Lacedæmonij eum Sycitem Bacchum colunt, Naxij quoque Liberum patrem, vocari volunt, Melichium, quòd ficulneum fructum, quem Melichem appellant, ediderit.

Bacchi tam vuæ, quàm ficus inuẽtum.

Bacchus Sycites & Melichius.

De malis, cap. II.

Plurima sunt, minimique madentia mala caloris
Dulcia, sed stomacho commodiora meo.
Corda iuuant flammis agitata, at noxia ventri
Turgebunt, neruis & nocuisse volent.
His caueas, mala sunt, dirasque mouentia febres,
Forma placet nitidi corticis, esca nocet.

QVi de agricultura scripserunt, mala à nucibus sic distinguunt, vt nuces dicant pomum omne, quod foris duro regitur, & intus habeat quod esui est: malum verò, quod foris habeat quod esui est, & durum intus includat. Infinita autem penè est in malis ludentis naturæ varietas, tam multa eorum genera, tot colorum differentiæ, tot figurarum discrimina, vt ea numerare non sit facile.

Malum à nuce vt differat.

Malorum genera.

cile. Apud Plinium vigintinouem malorum genera numerantur: apud Macrobium ex Cloatio viginti duo. Vt autem semel dicam, tot sunt malorum differentiæ, vt infiniti sit operis, eorum species omnes distinguere. Hic autem mali nomine ea duntaxat comprehendimus, quæ Galli à pomis ferendis, Pommes nominant. nam de persicis, coroneis, aliisque id genus, separatim suo loco agetur. Galenus mala ex sapore distinguit, triplexque facit eorum genus, dulce, acidū, & austerum. Malis autem omnibus excremētitia & frigida inest humiditas: alia tamen aliis sunt & frigidiora & humidiora: dulcia enim, aquosa quidem, non tamen manifestè frigida sunt: austera dulcibus frigidiora, sed minus humida: acerba seu acetosa frigida etiam sunt, sed humores incidere & tenuare apta sunt. hoc genus frigidam & terrenam essentiam sortitum est. Esse autem frigida mala omnia ex eo manifestum fit, quòd succus ex his expressus facilè in acorem transeat: nam ne vnius quidem huius generis succus durare, ac vetustatem ferre potest; verùm acescūt & corrumpuntur vniuersi: citonia enim & struthîa licet ceteris minus humida sint, eorum tamen succi, nec diu durare per se possunt: cum melle verò cocti possunt. Malum autem omne parum alit, prauique est succi. Scribit Platina mala dulcia & matura, quæque hieme custodita suauiter fragrant, inflammationem tollere, stomacho nauseanti succurrere, & appetentiam inducere. Contrà Dioscorides ait Melimela, quæ multis mala dulcia dicuntur, stomacho negotium exhibere. Ceterùm, mala dulcia prima mensa, austera verò & styptica post epulas offerenda sunt. Viridia mala fugienda sunt: ea enim noxium parere succum refert Diphilus, bilem & morbos creare, causasque horroris inferre: at mala dulcia, quæ ad absolutam maturitatem peruenerunt, vt ea incommoda non inferunt, ita salubriora multò censentur.

cap. 14. lib. 15

Malorum temperamentum

Mala dulcia, austera, acerba.

Mala omnia frigida esse quid arguat.

Platina à Dioscoride dissentiens.

A viridibus malis abstinendum.

DE PERSICIS, CAP. III.

Rore sumus pluuio mox putrescentia, ventri
Fida calescenti, si modò prima damur.
Mollia laxamus ventres, siccata tenemus,
Nos temnit Persis, sed tibi grata sumus.

Per-

PErsica ex Perside aduecta esse, vel nomen ipsum declarat. Nonnulli venenata Persica cum cruciatu Persidem proferre tradiderunt. Et eam ob rem à Cyro inde ad Aegyptios translata, pœnarum causa, & vt quos armis vincere nõ poterat, veneno saltẽ necaret. Sic enim Columella cecinit:

Persica vnde dicta. Venenata persica in Persis.

Stipari calathos pomu quæ Barbara Persis
Miserat, vt fama est, patriis armata venenis:
At nunc expositi paruo discrimine lethi,
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.

Id verò mendosum recentiores iudicarunt. Refert Plutarchus in Iside & Osiride, Persicam arborem in Aegypto Isidi sacram esse, quòd pomum eius humani cordis figuram, folium verò linguæ, quorum altero concipitur, altero enuntiatur sapientia referat. Persicorum genera numerat Plinius, Duracina, Gallica, Asiatica, & Supernatia. Alij triplex eorũ genus duntaxat faciunt, populare vulgo notum est, Gallis *Pesche* vocatur: alterum genus est duracinũ, Galli *Presse* vocant: tertium est præcox, vulgò Trecacinum dictũ. Persicum autem temperamento humidum est & frigidum, idq; in secundo ordine. quã ob causam calidiori stomacho conueniunt. Praui tamen sunt succi, facileque & acescũt & corrumpuntur: ob idque non post alios cibos mandenda sunt, sed prima mensa exhiberi debent: corrumperentur enim in stomacho natantia, & vnà secum alia quoque corrumperẽt. Vulgus verò hoc sibi persuasit, noxam quam infert Persicũ, nucleo suo expediri: vnde vulgatum Gallis adagium, Malum quod implicuit persicum, nucleus explicat. Persica poma matura tam stomacho, quàm ventri vtilia sunt. Sua enim humiditate & lubricitate aluum laxant: quæ etiam vna ratio est, ob quam prima mensa sumi debeant, vt nimirum citius subducantur, & aliis cibis viam muniant. Eadem verò sicca, exhalata videlicet, eorum humiditate, non secus quàm acerba aluum cohibent: quin & earum decoctum alui stomachique fluxiones sistit. Sicca post alios cibos offerenda sunt; licet enim nihil nutriant, stomachi tamen sigilla habentur. Sunt qui dicant statim post Persica ante cibum sumpta, vinum optimum bibendum esse, ne citò putrefiant: alij, quorum certè non est improbanda opinio, putant comedenda esse persica tessalatim, post cibum, in merum immersa. Hac enim ratione stomachi os refrigerant & claudunt.

Persica arbor Isidi cur sacra

Persicorum genera. cap. 12. li. 15.

Persicorum alimentum.

Malum quod implicuit persicũ, nucleus explicat.

De armeniacis, cap. IIII.

Poma eadem dices quæ Persica, si tamen amplũ
His corpus, nobis aurea forma datur.

ARmeniaca è genere Persicorum esse scribit Galenus. Sunt tamen qui existiment magis pruni, quàm persici & naturam & effigiem referre. Armeniaca verò bonitate nonnihil persica superant. nam nec ita facilè corrumpuntur, neque acescunt. Sunt etiam tum suauiora, tum delectabiliora, & stomacho gratiora.

De prunis, cap. V.

Pruna licet vario decorata colore nitescant,
Frigent, & pluri crassa liquore fluunt.
Soluunt, corda fouent ardentia, prima reposcunt
Prandia, sunt Syrij nobiliora soli.

Prunorum genera.

PRunorum varia multaque sunt genera. Vndecim à Plinio recensentur, cap. 13. li. 15. suæ naturalis hist. Quædam autem à coloribus nomen sumpserunt, vt alba & nigra: alia hordearia cognominata fuerunt, à comitatu eius frugis: quædam à vilitate Asinaria dicta sunt: alia à gente, vt Damascena & Armeniaca. Inest prunis omnibus aquosus succus. Quam ob causam tum exiguum corpori præbent alimentum, tum etiam frigidum crudumque succum gignunt, vt ὡραῖοι ferè fructus omnes. Vtilia sunt pruna, quibus propositum est ventrem mediocriter humectare & refrigerare. Bilem enim leniunt, eiusque acrimoniam mitigant & obtundunt. Sua humiditate & lentore aluum molliunt; quam ob causam ante alios cibos sumenda sunt. In vniuersum enim illud memoria tenendum est, humida & lubrica, quæque facilè subduci queant, ante alios cibos sumenda esse. Ex vniuerso autem prunorum genere, Damascena præstantissima sunt, & stomacho vtiliora. Miratur Galenus, quòd Dioscorides dicat, Damascena pruna aluum sistere. Galeni hæc verba sunt: Ceterùm haud scio, cur Dioscorides pruna Damascena exiccata ventrem sistere dicat, cùm & ipsa palàm etiam subducant: minus tamen quàm quæ ex Iberia importantur.

Galenus Dioscoridi aduersatur. li. 7. de simpl. medic. facult.

Pruna Iberica

Secundas autem à Damascenis partes habent Iberica, quæ ita dicta sunt, quòd primùm ex Hispania venerint, vt refert Aëtius. Succi sunt dulcioris, durioris que carnis, suaui gustu:

qua

qua parte solem spectant, purpureo nitent colore, aduersa parte candicant vel subrubent. Damascena autem à Damasco Syriæ oppido dicta sunt.

De pyris, cap. VI.

Brumalis sitibunda cibi, durantia ventrem
Sunt Pyra, ventosum non edat illa latus.
Cor tamen hæc colat, & fungi cui cura maligni,
Nec pipere & mulso, mellève cocta nocent.

Pyrorum tam multæ sunt differentiæ, quàm malorum vel prunorum, quas omnes recensent Plinius cap. 15. libr. 15. suæ naturalis histor. & Macrobius ex Cloatio Saturnaliorum lib. 3. cap. 19. quas omnes in tria genera coëgit Galenus. ex sapore enim, non secus quàm poma, ipsa pyra distinguit. Ex his enim alia esse austera ait, seu acerba, alia acida, alia denique dulcia, quædam etiam ex eorum mistione composita. Austera pyra maximè ventrem durant: licet omnibus vis insit adstrictoria: eamque ob causam pyra à cibo sumi debent, vt stomachum claudant & sigillent, præsumpta enim ventrem adstringunt. Qui flatibus obnoxij sunt, non ab esu pyrorum modò, sed etiam crudorum omnium abstinere debent, vt quæ flatus gignant: coctura autem flatum deponunt. Itaque salubriora sunt futura pyra, si cum iis, quæ discutiendorum flatuum vim habent, decoquantur: (cocta enim minus quàm cruda nocent) cùm enim ob terrestreitatem difficilius concoquantur, & diutius in stomacho hæreant, ea quibus cum decoquuntur, efficiunt, vt stomacho negotiũ non facessant, idque eorũ in eo concoctionem adiuuando, & flatum discutiendo. Nostrates in vino pyra ob id decoquunt, & saccharo condiunt, adiecto pauco cinnamomo, vt cœnas claudant. Ceterùm, hoc quoque obiter notandum est, ligni pyrorum cinerem, efficaciter his auxiliari, quos fungi strangulant. Pyrorum genera. Pyra austera.

De cerasis, cap. VII.

Iam dedit è Ponto nobis tria poma Lucullus,
Vix tepida & cursus dulcia, sunt subiti.
Dulcacida ignito fiunt aptißima ventri,
Condit adusta vorax acria sole coquus.

His aluus fluida arcetur, famis improbus ardor
Crescit, adempta sitis, quam gula docta coquo.

Cerasus arbor vnde dicta.

CErasum arborem, vt refert Athenæus, à Cerasunte ciuitate Pontica, primus in Italiã Lucullus intulit, debellato Mithridate: cuius malum appellauit Cerasium, gentili municipij cognomine. Cerasorum genera octo cõmemorat Plinius: Aegineta & Platina triplex tantummodo eorum genus fecere, quæ à sapore petuntur: vt quædam austera sint, alia acida, alia denique dulcia. Austera ventrem constringunt, & stomachum exasperant: acida pituitam incidunt, flauam bilem reprimunt, sitim extinguunt, & edendi desiderium faciunt. Dulcia stomacho aduersantur, lumbricos & putres humores in ventre gignunt. Manè autem deuorata cerasa dum recentia sunt, cum suis nucleis, vrinam citò, & aluum mouent: eadem autem siccata, ipsam cohibent. Ceterùm, ex omnibus pomiferis arboribus, cerasa primò maturescunt.

Cerasorum genera.

Austera cerasa.
acida.
dulcia.

DE CYDONIIS, CAP. VIII.

Sicca leuis brumæ quod poma Cydonia melle
Cocta iuuent stomachum, mensa secũda rogat.
Frenant vina, tument, fluxus remorata lacertis
Sunt nocua, & nimio cursibus apta cibo.

Cotonea malus priùs cydonia, vnde dicta.
Cydoneorum genera.

COtoneum malum primus Cato nominauit, quã Græci priùs Cydoniam à Cydone Cretæ oppido, vnde primùm aducecta est, appellabant. Genera eorum sunt, Chrysomela, nostratia quæ candidiora sunt, struthea, sub quibus Neapolitana comprehenduntur, Mustea, Cotonea strutheis insita, aliud genus fecerunt, quod Muluianum nuncupatur, quæ sola cruda manduntur, cùm reliqua non nisi cocta vescendo sint. Habentur etiam alia parua siluestria è strutheis odoratissima, in sepibus nascentia. Columella triplici cotoneorum genere contentus fuit: solùm enim struthiorum, Chrysomelorum & Musteorum meminit. Cydoniorum omnium fragrans est odor, quo lethalium venenorum vires retundunt, & vehementiam hebetant, vt testatur Plutarchus. Ob eam odoris commendationem iubebat Solon, vt refert idem Plutarchus in præceptionibus connubialibus, non prius sponsam cum sponso concumbere, quàm malum cotoneum

Cydoniorum odor fragrans est.
Solonis lex.

toneum delibasset: innuens, vt videtur, primam gratiam, quę ab ore voceque sponsæ demanat, benè compositam, aptam & suauem esse oportere. Cydonia mala optimè asseruantur superfuso melle: horum vsus secunda mensa esse debet: nam stomachum sigillant, concoctionem iuuant, & aluum mouent, si auidius sumantur. Quod si adstringenda est aluus, ante cibum sumi debent: quo modo sumpta, caput ab ebrietate tuentur. Alui fluorem sistunt cotonea, ob eorum frigidã & terrenam substantiam; quam ob causam cruda inflant, & tumidiorem stomachum efficiunt: vt ergò flatum deponãt, coqui debent. Cœliacis verò, lientericis, dysentericis cholera morbo laborantibus, & exæstuanti stomacho cruda cotonea conferunt.

Cydonia mala secunda mensa sumi debent.

DE OLIVA, CAP. IX.

Torpescens olea exacuit, sed auara palatum
Vix alet, arentem mollior aluus amat.
Igne leui, nisi salsa, tepens, imitata Smaragdos
Fœniculo, atque acido rore refecta sapit.

OLeæ fructus olea est, seu oliua: qui si ad vnguem maturuit, moderatè seu temperatè calidus est: immaturus autem acerbior frigidiorque est: itaque tum adstringit, tum refrigerat. De olearum verò generibus, legendus est Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. vlt. Oliuæ exiguum alimẽtum corpori præbent, & potissimùm caducæ: quæ vt pinguem, ita ἁλμάκαδες, hoc est, quæ muria asseruantur, & κολυμβάδες, id est, quæ oleo suo puræ, atque sine accersita cõmendatione innatant, stringentem habent succum. has cum gato sine pane, illas cum pane ante alios cibos veteres mandere solebant. hæ autem stomachum sua adstrictione roborãt, & appetentiam excitant. Optimæ verò oliuæ sunt, quæ aceto condiuntur: facilius enim concoquuntur, vt quicquid gustui magis placet. Multiplex porrò fuit oliuarum conditura, accersitaque aliorum saporum commendatione tãdem placuit, quod alioqui ingratũ in cibis vsum habuisset. Condiendarum autem oliuarum rationem pete ex Palladio, Plinio, Columella, & reliquis rei herbariæ auctoribus.

Oleæ fructus maturus. immaturus.

Oliuarum alimentum. ἁλμάδες. κολύμβαδες.

Oliuarum conditura.

DE SORBIS, ARBVTIS ET MESPILIS, CAP. X.

Arbuta, Sorba, tenēt fluidos & Meſpila vētres:
Paruo ſiccescunt hæc tria poma gelu.
Hæc fugias nitido dum cortice poma rubeſcunt.
Vix ſimul eueniunt & decor & bonitas.

SOrba, Arbuta & Meſpila adſtringunt, aluumque ſiſtunt. ſed meſpila multò magis quàm ſorba: & his quidē magis arbuta. Sorba recentia ſtomacho & citæ aluo proſunt. Nonnulli ad hunc vſum ſorba cùm adhuc luteola, necdum matura ſunt, decerpunt, diſſectaque ſole ſiccant, probabili remedio ad ſtipandam aluum. Idem præſtat eorum tuſorum farina, polentæ modo ſumpta, & eorum decoctum. Laudantur à Medicis ſorba, medicamentorum potius quàm cibi gratia. Nullus enim illorum vſus ferè alius eſt, quàm ad ſiſtendam aluum. Vnde illud Poëtæ:

Sorba ſumus molles nimium durantia ventres.

Meſpila Gallica præſtantiora. Gallica autem meſpila ceteris præſtantiora ſunt, vt interim breuioris doctrinæ gratia reliqua eorum genera omittam, quæ fuſius à Dioſcoride, Plinio, Theophraſto, aliiſque tractantur. Horum ſemen auſterum quidem, & folia proprietate non carent. Ante cibum ſumpta Meſpila, valdè diſſolutū ſtomachum adſtringunt, & alui fluorem ſua frigiditate & ſiccitate reprimunt. Sorba autem in cibo meſpilis ſunt ſuauiora. Semicrudi verò fructus vi ſtomachum valde grauant: maximè verò arbuta; capitis enim dolores excitat. Veteres Arbutum Vnedo cur dicatur. Romani ignaros & pueros, Vnedonem arbutum appellantes, cauere monuerunt, manifeſto nominis argumento, ob eius noxium vſum & pernicioſum, ſufficere, vnum duntaxat ediſſe.

DE AVELLANIS, CAP. XI.

Primus Abellinam Campano à nomine cultor
Dixerat, aridula eſt, ſed minus illa tepet.
Inuiſa eſt capiti, & ſtomacho, tardiſsima lapſu
Intumet, vmbroſis naſcitur in Corylis.

Auellanæ nuces vnde. NVces Auellanæ in magna & controuerſa admodum ſunt nominum ambage, quas anteà Abellinas ſeu Auelli.

uellinas patrio nomine vocabant. In Asiam Græciamque è Ponto venerunt: ideoque Ponticæ nuces appellantur. Heracleoticæ, ab Heraclea Pōti ciuitate, & λεπτοκάρυα à Græcis dicuntur. E nucum genere sunt Auellanæ, à quibusdam Prænestinæ nuces dicuntur. estque hominum natio iuxta agrum Prænestinum, qui ἀπὸ τῶν καρύων Carsitani vocantur. Plutarchus scribit Scorpium in domicilia non irrepere, Coryli nucula laquearibus appensa. Auellanæ nuces Coryli arboris fructus sunt. Quædam autem domesticæ sunt, quædā siluestres: ambarum aliæ oblongam, aliæ rotundam nucem sortiuntur. Et oblongæ quidem gustu suauiores sunt, tardiusque quàm rotundæ maturescunt. Auellanæ ceteris nucibus frigidiores sunt, & austeriores: in ceteris æquales sunt. Inest tamen eis caliditas aliqua siccitati admixta, cuius ratione capitis dolorem ipsæ creāt, stomachumque exagitant: nam in eo ægriùs concoquuntur. Corpus tamen plurimum nutriunt, & copiosius quàm reliquę nuces, quòd earum substantia sit compactior, & minus oleosa.

Ponticæ nuces. Heracleoticæ

Carsitani. Plutarchus.

Auellanarum genera.

DE AMYGDALIS, CAP. XII.

Feruet & emollit si dulcis Amygdala, amara est
Asperior, mensas nesciat ista tuas.
Iliacum dulcis, tabemque à pectore delet.
Quàm benè distat? alit dulcis, amara necat.

NVx Græca Cloatio apud Macrobium ea est, quæ & Amygdala dicitur: sed & Thasia eadem nux vocatur. Naxias item amygdalas Athęneus veteribus tradit appellatas, quòd in Naxo insula præstantissimæ haberentur. Amygdalas Herodianus dici putat, quòd post viride putamen, multis scateat rimosis scarificationibus, & in rimulas dehiscat. Amygdalarum duo sunt genera, amarum & dulce. Dulces amygdalæ mediocriter calidæ sunt: nam dulcis qualitas moderatè calida est: amaræ verò extenuandi & ab obstructione liberandi vim habent, eorum qui in profundo resident lētorum & crassorum humorum: calidiores enim sunt, & valentiùs desiccant: vnde viscera & thoracem purgant. Dulcia autem amygdala leuiculam etiam amaritudinem possident, quę tamen dulcedine superante occultatur, vt scribit Gal. lib. 6. de simpl. medic. facult. Plutarchus amygdalas amaras ebrietatem arcere scribit: narrat enim medicum quen-

Nux Græca.

Amygdalæ vnde dictæ ex Herodiano.

Amygdalorū genera duo.

Plutarchus.

Historia medici cuiusdam qui amaras amygdalas ad ebrietatem arcendam edebat.

quendam apud Drusum Tiberij Cæsaris filium commessari solitum, omnesque bibendi certamine prouocantem, ac nemini in vini potu cedentem, deprehensum tandem fuisse, quina sena ve amara amygdala edētem, quo minus temulentia tentaretur. Porrò cùm deuorare vetuissent, ne pauxillum quidem in huiuscemodi bibendi certamine resistere potuisse. Hoc ipsum Athenæus quoque narrat, causam in amaritudinem referens, quæ siccet & humorem depascat. hac ipsa verò amaritudine meatus vellicant, & quodam lacessunt morsu, & vaporem quē humor in cerebro creauit, absorbēt: & interanea resiccant, ita vt non sinant venas impleri, quarū vt tradunt distentione & perturbatu temulentiam contrahi volunt, effluuiis obsessa mentis arce. Amygdalæ dulces magis nutriunt: dulcia enim in vniuersum & sola & multum nutriunt. Eæ verò ventri subducendo non admodum conferunt, vt scribit Gal. lib. 2. de alim. facult. in quo cum Dioscoride minus consentire videtur. Is enim refert amygdala, potissimùm amara, aluum emollire. Pulmonum inflammationibus ex aqua in potu, aut eclegmate cum resina terebinthina amygdalas dari scribit idem Diosc. item cum melle & lacte hepaticis, tussi & coli inflationibus auxilio esse. Ab esu verò amararum amygdalarum abstinendum est. Saporū enim omnium amarus gustui insuauissimus sentitur. Refert Plutarchus vulpes amarorum amygdalorum pastu mori, nisi contingat è vicino aquam lambere, intestino humore affatim exucto. hoc & Plinius & Dioscorides testantur. An verò homines perinde atque vulpes amara amygdala necēt, nondum constat. immò vt dulces amygdalæ suauiores, ita amaræ salubriores creduntur. Fit certè in natura passim, vt quod homini venenum sit, aliud aliquod animal saginet; & contrà quod quadrupedi noceat, nobis ad meliorem vitam proficiat. Ex Galeno certum est amaras amygdalas ad pus & crassos succos ac lentos ex pulmonibus & thorace expectorandos plurimum conferre, ad omnia denique, vt summatim dicam, dulcibus præstantiores.

Athenæus.

Sola dulcia alunt.

Vulpes amarorum amygdalorum pastu mori ex Plutarcho.

Amararum amygdalarū vires ex Gal.

De nvcibvs, cap. XIII.

Mille Nuces poteras dixisse, sed vnica iuglans
Nux dicta est, linguæ iam nocitura tuæ.

Siccior

Siccior arescit, stomachũ & caput improba vexat,
Mirum, si nocuæ sit benè iuncta viæ.

VT Nux à Malo distingui debeat, suprà, capite de Malis, diximus. Nux verò simpliciter dicta, iuglans intelligitur. Iuglans autem, à glandis iuuamine, vt Seruius tradit, dicta existimatur. Caius de verborum significatione iuglandem arborem dictam, perinde ac Iouis glandem refert: nam id arboris genus nuces fert glande suauiores. Cloatius Caio subscribere videtur, cùm ait: Iuglans, quasi diuglans, id est, Δίος βάλανος. Porrò iuglans nux regia, interdum Persica, Euboicaque dicitur. Nuces calidæ & siccæ sunt: immò exiccatorium esse medicamentum scribit Gal. lib. 7. de simplic. medic. facult. ideoque salubris maximè est earum vsus a piscium esu. vnde illud: *Post pisces nuces, post carnes caseus adsit.* Sumptæ tamen post cibum, linguæ paralysim inducere creduntur, vocique officere. Mnesitheus Atheniensis Euboicas nuces, præsertim siccas, coctu difficiles esse tradit, & flatus gignere. Idem asserit Dioscorides his verbis: Nuces iuglandes difficiles sunt concoctu, & stomacho inutiles. Gratiores tamen sunt quàm Ponticæ nuces, concoquuntur facilius, vt testatur Gal. lib. 2. de alim. Nux ob id à Græcis κάρυον videtur appellata, quòd capitis grauitatem inferat, quã καρυβαρίαν idem appellare solent. Nec forrasse ineptè Grammatici nucem, à nocendo dictam autumant. in qua opinione est etiam Plutarchus: eas enim ait noxium halitum, caputque grauantem expirare, quo sub arbore iacentes offendunt. Arboris enim ipsius & foliorum grauis ille odor, citissimè in cerebrum penetrant. Et verò iuglandiũ vmbra quibusque nouerca est: nam & stillicidij ratione nocet. soletque eam ob causam iuxta vias plantari. Qua potissimum ratione apud Ouidium grauissimè conqueritur his verbis:

Nux simpliciter dicta quid.

Nucum temperamentum.

Mnesitheus.

Nux cur κάρυον à Græcis dicta.

Nux ego iuncta viæ cùm sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.

DE PISTACEIS, CAP. XIIII.

Igne Nuces superat, renes iuuat, & iecur humens
Pistaceum, hæc stomachi cœna senilis amat.

DIoscorides Pistacea stomacho amica esse scribit: Galenus verò neque stomacho prodesse, neque obesse.

Eosdem fermè vsus habent, quos nuclei pinei. Ceterùm, pistacia magis medicamenta sunt, quàm alimenta. Parum nutriunt, eodem Galeno teste. Hepar roborant, eiusque obstructiones aperiunt: qualitatem enim habent subamaram, aromaticam, & subastringentem. Galenum sequuntur Aëtius & Aegineta. Conferunt thoraci maximè & pulmoni.

De pineis, cap. xv.

Ebullit, nimiumque sitit, pulmonibus imis
Debita, vix coquitur Pinea, sed benè alit.
Intestina fouet, neruis rigidoque lapillo
Subuenit, & Veneri grata, fugit Cybelem.

Nucum pinearum genera 4.

NVcum pinearum genera quatuor à Plinio commemorantur, cap. 10. lib. 15. suæ natur. histor. Recentiores duo tantùm faciunt, domesticum vnum, alterum siluestre. Nux pinea vim adstrictoriam & excalfacientem aliquantū habet. Boni & crassi est succi, multumque nutrit, non tamen facilè concoquitur. Tussi & pectoris vitiis auxilio sunt, stomachi rosiones leniunt, infirmitatem virium roborant pinearum fructus. nam ex iis parantur pastæ, quas Regias vocant, tabidis & extenuatis. Vrinam mouent, acrimoniam in renibus & vesica hebetant. In summa, renibus & vesicæ vtiles sunt. Virilium imbecillitatem roborant: immò cum vuis passis frequentius sumptæ pineæ, Venerem etiam iacentem excitare creduntur. Eandem vim habent cum saccharo conditæ.

De castaneis, cap. xvi.

Quæ tibi grata licet posito mollescat echino
Sicca est, & nimio Castanea igne calet,
In caput & ventres inflata asperrima sæuit,
Ni spolia apportet mellis arundinei.

Duo castaneorū genera

ARmatum est nucibus castaneis echinato calyce vallū, in quo quibusdam trini partus includuntur. Duo tantùm apud nos obseruantur castanearum genera, cùm tamen plura nonnulli descripserint. Quædam altiles, multò maiore corporis tuberculo, Marones vulgus vocat: aliæ longè minores sunt, & veluti siluestre genus: easque esse facilè crediderim, quas Plinius Coctinas vocat. Ceterùm, nōnulli ca-

staneas è nucum genere esse volunt: alij verò glandiũ generi accommodatiores esse censuerunt. Castaneæ omnes siue assentur, siue frigātur, semper prauæ sunt; peiores tamẽ sunt, si crudæ mandantur. Plurimũ tamen alunt: inflationes pariunt, & concoctu difficiles sunt. Eam ob causam vel in patella perforata torrentur, aut sub carbonibus lento igne coquuntur. Elixæ castaneæ & adhuc calidæ manè ante cibum cum melle datæ tussientibus prosunt. Castanearum alimentum.

DE ZIZIPHIS, CAP. XVII.

Magna placent, tussim sedant, stomachũque lacessunt,
Humenti frigent Zizipha temperie.

Zizipha Papinius ex Africa nouissimis Augusti temporibus primus inuexit, in castris sata, & aggeribus præcipuè decora: Baccis similiora quàm malis. Duplex ziziphi genus est Columellæ, rutilum & candidum. Zizipha autem maiora, edesima vocata, præstantiora sunt. & quo grandius & maturius fuerit pomum, eò innocentius, cùm alioqui difficulter conficiatur. Serica à Galeno vocantur, quæ puerorum effrænatorum & mulierum edulium esse scribit, asserere non ausus ea quidquam ad sanitatis custodiam aut morborum profligationem facere. Exiguum autem etiã ipsa præbent alimentum. Aëtio calore & humore temperata sunt zizipha. Eorum decoctum tussim & spirandi difficultatem lenit, pectori, renibus & vesicæ prodest. Papinius zizipha primus inuexit. Ziziphi genus duplex. Serica. Aëtius.

DE MALO PVNICO, CAP. XVIII.

Dulcia sunt madidi roris, sicci acria poma
Punica, pulmoni hæc sunt mala, at illa bona.
Cuncta nocent stomacho, feruentes acria flammas
Extinguunt, cunctis mensa secunda datur.
Sæpè remorbescit dulci si vescitur æger.
Vtraque cùm distent, meiere cur faciunt?

Malum Punicum à Carthagine laudatissimum inde nomen. Satam primum arborem in Cypro à Venere testantur Græcorum fabulæ. A contentis multis in se granis, Granata nuncupantur. Genera mali Punici sunt, dulce, austerum seu acerbum, acidum, vinolentum. Omnia autem Punica adstringendi vim habent, eamque ob causam refrigerant Malum punicum vnde dictum. Granata. Mali punici genera.

 gerant

gerant & siccant. Dulcia verò aliquid caloris continere, natura ipsa arguit, refrigerant tamen & exiccant, & acerbitatis etiam aliquid habent. Porrò malis punicis magis medicamenti, quàm alimenti ratione egemus: quæ tanto pyris & pomis sunt præstantiora, quanto succum his copiosiorem, gustu suauiorem, & ad multa vtiliorem habent. Acida autem & austera magis quàm dulcia refrigerant, ideoque stomacho æstuanti auxiliantur. Adstringunt quoque: acida autem habent etiam aliquid quo incidant. Noster Poëta nescio quem secutus auctorem, stomacho noxia esse punica scribit: contrà verò sentit Dioscorides his verbis: Malum punicum omne boni succi est, stomacho vtile, perexiguum dans corpori alimentum. Hippocrates quoque & Galenus non solùm Dioscoridi subscribunt, sed etiam stomachũ mala medica roborare asseuerant. Sic scribit Hippocrates lib. 2. Epidem. Mulier quæ καρδιάλγια torquebatur, non prius morbi leuamẽ sensit, quàm polẽta succo mali punici aspersa semel in die vteretur, reliquis cibis abstinens: neque amplius vomitu reiiciebat, qualis Cherion Charitonis filius. Galenus verò hanc historiam exponens, ait: Polenta, humorem vitiosum os ventriculi imbuentem exiccauit: succus autem Punici cum ea sumptus, ventriculum ita roborauit, vt humorem in ipsis tunicis contentum expellere potuerit. Ceterùm, qui valido sunt stomacho, tutius ante cibum punicis malis vtentur, quàm qui imbecilli. Post cibum verò vapores ad caput ascendentes reprimunt. Dulcia punica in febre abdicantur: aliquantulum enim calorem in stomacho gignunt, & inflationes pariunt. Eorum autem genus omne vrinam mouet.

Punica dulcia.

Acida & austera punica.

An punica stomacho noxia.

Hippocrates.

De cornis, Cap. XIX.

Corna nocent stomacho bruma malè grata rigẽti,
Si tuus illa voret venter, auarus erit.

Cornorum alimentum.

Corna in cibum sumpta, parum alunt, tardiusque concoquuntur. Quam ob causam miratur Plinius, nec id certè absque ratione, quòd tanta cura cornis atque lentisco adhibeatur, ne quid non hominis ventri natum esse videatur: Miscentur (inquit ille) sapores, & alio alius placere cogitur. Miscentur quoque terræ cælique fructus, inque alio cibi genere India aduocatur, in alio Aegyptus, Cretæ, Cyrenæ,

renæ, singulæque terræ. Nec cessat in veneficiis vita, dũ modò omnia deuoret. Porrò corni fructus acerbus si edatur, validè ventrem adstringit, ob idque profluuio alui & dysenteriæ salutaris existit.

De moris, cap. xx.

Acribus est gelidus, feruescens dulcibus humor,
Dulcia mox putrent mora vorata tibi.
Acria si ventres choleram subigentia durant,
Vesicæ effluxus plenior inde tibi est.

Mnestor apud Theophrastum calidam esse morum prodidit. Vnde nonnulli tradunt, ex mutuo attritu ligni huius arboris flammam exteri. Mora autem matura ad caliditatem & humiditatem tendunt. Aegineta tamen scribit ea vehementer humectate, & mediocriter refrigerare. Mora celerrimè pertranseunt, cibisque aliis præeunt, si in ventriculum purum inciderint, & sumpta primis epulis fuerint. Id verò præstant suæ substantiæ humiditate & lubricitate, necnõ propter admixtam quandam acrem qualitatem, quæ deiectioni excitandæ satis esse potest. Quod si post alios cibos sumantur, aut etiam prauo succo abundantem stomachum offenderint, celerrimè vnà cum aliis cibis corrumpentur. Ea ipsa humiditate vrinam cient. Porrò mora immatura siccantur, tusaque obsoniis miscentur, vt cæliacos sua adstrictione iuuent.

Mnestori calida morus.

Aegineta.

De vva, cap. xxi.

Dulcis & apricis delecta in collibus Vua,
Terreus huic cortex, feruidus humor inest.
Excipe de nigris, quæ sit tibi gratior, albam.
Nève inflet, soles sit remorata duos.
Bacche quid hoc maius potuisti munere? nutrit
Hæc benè, vesicæ sed malè sana nocet.

Si omnis vuarum vsus toto anno æstimetur, si quam multiplici ratione asseruentur, & quam sæpè pro fruge & obsonio homini sint, si quandiu rusticas & vrbanas mensas suaui & vtili cibo instruant, alteram vitæ humanæ partem explere non immeritò quis iudicabit. Nec enim aliundè nõ

Vuarum maximus vsus.

vitæ modò, sed etiam beatioris vitæ, quàm ex vuis felicior occasio est. Quod certè euidentius est, quàm vt proliziore indigeat demonstratione. Vuam verò quasi vuidam, ex abũdantia humoris dictam nonnulli tradiderunt, cùm maximus inde perfluat humor. Vitium autem genera & vuatum penè innumera sunt. Cloatium apud Macrobium & Pliniũ diligentius euoluat, qui earum differentias omnes scire cupit. Differentiæ autem omnes in quatuor genera, à sapore petita contrahuntur: aliæ enim dulces sunt, aliæ acidæ, aliæ austeræ, aliæ denique nullam habent vehementem qualitatem, quæ vinosæ dicuntur. Dulces vuæ succum calidiorem habent, ob id sitibundæ sunt: austeræ verò & acidæ frigidiorem: vinosæ autem locum medium inter calidum & frigidum obtinent. Vuarum maturescentium vehementiores sunt nigræ, suauiores albæ. Recentes vuæ deuoratæ, nisi velociter permeent, aluum turbant, & stomachum inflant, qua inflatione etiam capiti nocent, & lethargum faciunt. Maturæ verò, & quæ diutius, saltem dies quatuor pependere, innocẽtiores sunt: quòd in eis copia humoris exiccetur; & quidquid inflationes facit, euanescat. Ceterùm, inter auctores omnes conuenit, ficos & vuas benè maturas, ceteris fructibus qui crudi eduntur, minus insalubres esse, & sumpta prima mensa ferè non nocere. Plurimum verò vuas alere eodem argumento docet Galenus, quo, vt idem de ficubus demonstret, vtitur: quod ex capite de ficubus repetendum est. Porrò dulces vuæ citius per vrinas redduntur, reliquæ verò tarædius. Vesicam tentant vuæ in vinaceis, aut ollis diutius seruatæ.

Vitium & vuarum infinitæ differẽtiæ.

Differentiæ vuarum à sapore quatuor

Vuæ multum & copiosè alunt.

DE VVA PASSA, CAP. XXII.

Passa iecur stomachumque iuuat, mihi prima Corinthi est,
Iliacum tepido grata liquore leuat.

A Patientia nomen vuis passis datur. Sunt qui vuam passam dictam velint, quòd in rugas siccata contrahatur, vt passam frontem rugosam & flaccidam Plautus appellat. Vuæ passæ autem cum aliis vuis eandem rationem habent, quam caricæ cum ficubus. Passulæ vino lotæ, & maximè quæ sine vinaceis sunt, vt Corinthiæ (quæ inter passas vuas primum locum tenent) ante & post cibum sumptæ, stomacho

Vuæ passæ vnde dictæ.

Passulæ Corinthiæ.

cho & hepati opitulantur. Calidiores quoque sunt vuæ passæ, & reliquis vuis magis alunt, sed minus aluum soluunt.

DE LABRVSCA ET PRVNIS SILVESTRIBVS, CAP. XXIII.

Labrusca incultæ decus arboris, acria pruna
Nata sub vmbrosa sole tepente rubo.
Frigida sunt, vomitumque tenent, fluxusq; retardant:
Gratia quanta Ioui? nil sine dote facit.

Labruscæ seu vitis agrestis alterum genus vuas ad maturitatem non perducit, sed ad florem tantum dictum œnanthem promouet: altera perficit paruis acinis. Siluestrẽ autem prunum Virgilius Spinum vocauit, cùm ait Spinos iam prima ferentes. Columellæ quoque pruni siluestres, spinatum genera sunt. hęc verò frigidam naturam sortita sunt, & adstrictoriam. Labruscæ genera. Spinus Virgilio quid.

DE BACCIS LAVRI, CAP. XXIIII.

Laurea docta caput, mucosaque pectora, lumbos,
Et iecoris clausas radere bacca vias.
Dira mouet vomitus, & rusticitate retenta,
Præ nimia fœtum perdit amaritie.
Menstrua subducit, lapidemque epota resoluit,
Quod mirum est? vssit si prius, vsta modo est.

Laurus duplex, mas & fœmina: vterque calefacientem naturam & emollientem habet. & baccæ quidem eius plus quàm folia & calefaciunt & exiccant. Ideoque nonnulli tradiderunt, si duo lauri ligna terantur, flammam attritu concipere. Laurus cum oleo Irino capitis doloribus auxilio est: cum melle & passo ad omnes thoracis rheumatismos bibuntur: pituitam enim & excoquunt & extrahunt. Ceterùm, baccæ lauri medicamenta potius sunt, quàm alimenta: necdum enim mensis apponi solent. Laurus duplex.

DE BACCIS IVNIPERI, CAP. XXV.

Gratia Iuniperi baccis sitientibus ingens,
Pulmonem, stomachumque igne tepente iuuat.

Semi-

Semianimem reuocant matricem, bacca dolores,
Iuniperus flammis vsta, venena fugat.

ET hæ quoque baccæ medicamenti potius, quàm nutrimenti rationem habent. Ceterùm, Iuniperus calida est & sicca vtrinque tertij ordinis. Baccæ Iuniperi ἀρκευθίδες à Græcis dicuntur: nigræ sunt, gustu adstringentes, acerbæ, ingustabiles in annum durantes, nec prius deciduæ quàm alia subnascantur. Calidæ etiam sunt, sed non similiter siccæ. Baccæ Iuniperi stomacho pectorique vtiles sunt. Stomachum enim in biliosos vomitus effusum, deuorata in ouo sorbili earum polenta cohibent. pituitam quæ in stomacho coiit digerunt, humorem coërcent, qui pernix à cerebro deuoluitur. tusses concoquunt. Si tamen quis iis largius vteretur, stomachi morsum protinus sentiret. Bibuntur contra serpentes & viperarum morsus. sunt qui oleo ex his confecto perungant corpus in serpentum metu. Menstruos cursus continent.

ἀρκευθίδες quæ.

De cono cypressi, cap. XXVI.

Arescens calido reprimit conspersa Cypressus,
Vesicæ & neruis optima languidulis.
Est mala, grata tamen, Ditique in funere sacra,
Flet pueri aßiduè lurida fata sui.

CYpressus Galeno, Dioscoridi, Aeginetæ & Aëtio, refrigerat & adstringit (quod aduersatur nostro Poëtæ, qui calidam & siccam esse ait) siccandi etiam vim habet, absque insigni acrimonia aut caliditate. ob idque in alto latentes, in flaccidis putrescentibusque affectibus humiditates innoxiè depascitur & absumit: cùm quæ calefaciũt simulque desiccant, eas quidem quæ contentæ sunt, absumant. ceterùm, acrimonia & caliditate alias attrahant. Ingrata quidem est ori, amaritudinis suæ ratione, grata tamen est stomacho: nam cum cerato admotæ cypressi pillulæ stomachum firmant. Robur addunt neruis aliisque partibus præ humiditate laxis, eius folia vtpote cum adstrictio in altum subeat, deducente ipsa caliditate quæ admixta est, eum seruante modum, vt deducere quidem non mordicare valeat. Cypressus autem, vt id etiam obiter dicamus, Diti sacra est: ideò funebri signo ante domos poni solebat. Charitas autem

Cypressi qualitas controuersa.

Cypressus Diti sacra.

autem appellari solitas, Eteoclis filias fuisse narrant, quæ dũ in tripudio dearum subsilirent, in puteum ceciderunt: dolẽs earum vicem Tellus, arbores frõdosas puellis similes ad oblectamentum & rei memoriam edidit. Ceterùm, cypressi coni, à Plinio Pilulæ, ab aliis Galbuli & nuces appellantur. Charites in cypressos mutatæ. Cypressi coni.

DE DACTYLIS, CAP. XXVII.

Ardua dat dulci pomum tibi palma tepore,
Cui dedit apta nimis nomina, forma teres.
Hoc caueas, tumidum corpus torpedine replet:
Sic cedet vinci nescia palma tibi.

DActyli fructus sunt palmæ arboris, qui etiam Palmulæ nuncupantur. Palma quidem acerba est, & adstringens: eius verò fructus potissimum dulcis, non parum calefacit: tales sunt quæ καρύωται appellantur. Præstantissimæ autem hæ in Syria Palæstina nascuntur in Hierichunte. Quædam autem siccæ sunt & adstringentes, vt Aegyptiæ: reliquæ verò omnes inter has sunt mediæ. Fortasse à forma oblonga, digitoque persimili, dactyli nomen impositum palmæ fructui olim videtur. Palmulæ corpus augent, sed capiti tum dolorem, tum grauedinem inferunt. Concoctu difficiles sunt, stomachoque facessunt negotium, virides verò maximè: nam & inflationes ficuum modo pariunt. Aristoteles, Theophrastus, aliique palmam non cedere oneri quãlibet ingenti, nec intra flecti pandíve scribunt, sed contra prorsus resurgere. Eam ob causam in certaminibus, vt Plutarchus refert, palma manu dextra gestata, victoriæ erat indicium, quòd prementibus vrgentibusque non cedat. Hinc victoria à Græcis νίκη, quasi μὴ εἶκον, id est, non cedens dicitur.

Dactyli fructus sunt palmæ. Palma. καρύωτ. Dactylorum differentiæ. Dactyli vnde dicti. Palma oneri nõ cedit, quãtuuis ingenti. Palma victoriæ indicium. νίκη.

DE GRANIS MYRTI, CAP. XXVIII.

Dum sitibunda rigent, reseratos grana cruores
Myrtea compescunt, & benè semper olent.
Corda senescentemque iubent reuirescere formam,
Hinc tibi grata putant Myrtea serta Venus.

MYrtus ex contrariis essentiis conflata est. vincit in ea tamen frigidum terrestre, propterquod impensè admodum desiccat. Myrti autem baccæ, Myrtæ & Myrtides à Græ-

Myrtus contrariis essentiis constat. Myrtides.

Græcis nuncupantur. Odoratissima est in Aegypto myrtus, orisque odorem commendat, vel pridie commanducata. Myrtum arborem Græci Mineruæ dicant; commenti fabulam, quòd Myrsine Atheniensis puella fuit, pulchritudine ac robore insignis, amica Palladi: quam iuuenis ab ea cursu & palæstra superatus interemit: inuidia etiam ductus, quòd formá naturæque dotibus ceteris reliquæ iuuentuti præstaret. Arbuscula in demortuæ locum succedens Mineruæ chara perpetuò remansit. Dicata quoque est Veneri, quippe quæ littoribus maximè proueniat: Venus autem è mari orta dicatur. hinc & arbor sacra coniugio. Ad multa medicamentum vtile sunt Myrtides, seu myrti baccæ. Exscreantibus enim sanguinem medentur. fastidium etiam abigere traduntur. Cardiacis imponitur myrti semen cũ polenta in mamma sinistra.

Myrtus Mineruę dicata. Myrsine in myrtum conuersa.

Myrtus etiam Veneri dicata

DE BACCIS HEDERAE, CAP. XXIX.

Sicca nocens neruis Hedera est, & frigida paruo
Igne calet, variis sic malè mixta modis.
Vina domant, firmantq; caput, ventreq; Corymbi:
Cincte Hedera nimium tempora Bacche sapis.

EX contrariis constat facultatibus Hedera: habet enim quiddam adstringens, aliquid etiam acre. Aqueam quoque substantiam obtinet, maximè viridis: dum autem arescit, aquea illa qualitas statim perit, manetque tum terrea & frigida, adstringensque, tum calida & acris. Hedera verò omnis neruos tentat, eisque nocet, tum intus sumpta, tum admota, & adhibita foris. In tutela Liberi patris esse credita est hedera. nam vt ille iuuenis semper, ita hæc perpetuò viret: nec secus omnia, sicut ille mentes hominum illigat. Dionysiam à Baccho, id est, Bacchicam appellauit antiquitas, hoc honore Liberum patrem dignata, quòd primus ex Indis hederá in Græciá asportasset. Atque vini repertor Liber cùm medicamentum suauissimum simul & vehementissimum adinuenisset: fertur hederam suis viribus huic repugnantem, in honorem & pretium adduxisse: eaque coronari debacchantes edocuisse, quo minus vini noxam sentirent, hedera suo frigore temulentiam restinguente. Et verò molles

Hedera in tutela Liberi patris esse cur credita.

Dionysia hedera cur dicta

molles hederę corymbi, aut eiusdem folia, cum aceto & rosaceo trita, cerebro continentique membranæ imposita, capitis dolorem sedant. Foliorum quoque & acinorum succus, cum irino vnguento aut nitro naribus infunditur, contra veteres capitis dolores.

De malis medicis, cap. XXX.

Medica mala sumus, pelli vis ignea nostræ est,
Humentis brumæ nec bene cocta caro.
Terreus est humor, sectantur semina pellem,
Flos calet & folium, sic voluere Dei.
Tarda caro est, succus cholerã fluxusq; moratur,
Cor tepet hinc ardens, hinc tua membra nitent.
Semina, flos, folium, & cortex frigentia mulcent
Corpora, & epurant aëra pestiferum.
Sola tamen volumus mandi, sic gratus, olescens,
Nos bona dic Veneri, non mala, nec medica.

Medica malus natales suos ipso nomine fatetur. A Medis enim aduecta est, per bella Persarum quę Darius intulit. hinc gentile nomen retinuit. Virgilius Homerum imitatus longa periphrasi malum hanc his verbis descripsit: Medica malus vnde. 2. Georgic.

Media fert tristes succos, tardumque saporem
Felicis mali, quo non præsentius vllum, &c.

Vocatur etiam Assyria & Persica malus, Citrus & Citrea: cuius pomum citrum iam ab omnibus nuncupatur. Porrò si quæ sunt in malis medicis differentiæ, potius in magnitudine quàm genere consistunt. Eadem est enim omnium vis, quæ tamen non vna est in omnibus citri partibus. Cortex enim siccat in secundo ordine, acris est, & in calore ferè temperatus: quod intus est semen, vincentem habet qualitatem acidam & siccam, vt in tertio ordine sit refrigerantium & exiccantium. Caro densioris est succi, frigida & pituitosa. Citrus. Nullæ sunt medicorũ malorũ differentiæ. Citri diuersis partibus varia vis inest.

Folia denique exiccandi ac digerẽdi vim obtinent. Pomum hoc odore pollet; & si vestibus interferatur, eas ab offensis vindicabit. Valet etiam cùm lethale venenum quis hausit, oris quoque suauitatem commendat. Veneficij autem cuiuslibet amuletum esse ex eo constat, quod Athenæus refert se à fidedigno ciue aliquando intellexisse. Is secundum leges ab Aegyptiorum magistratibus latas, maleficos quosdã nebulones damnauerat, quo suorum facinorum pœnas luerẽt, feris in prædam exponendos. Verùm antequàm in theatrum descenderent, in quo fures & prædones supplicia pendebãt, in itinere caupona quædam vicem eorum dolens, sortisque miserta, quæ in manibus tenebat edens citria dedit, quæ recepta manducarunt. nec multò pòst immanibus & ferocissimis bestiis oblati, & ab aspidibus demorsi, nihil molestiæ senserunt. Tum admiratus præfectus, & à milite cui tradita fuerat eorum custodia rogans, num aliquid edissent aut bibissent, certiorque factus illis citrium datum; postridie iubet vni dari, alteri autem denegari. Et qui citrum quidem comederat, demorsus, nihil incommodi sensit; alter illato ictu, confestim interiit. Facto autem sæpius rei huius periculo, tandem inuentum est, exitiali omni medicamẽto, præsenti esse remedio. Nihil igitur mirum, si aduersus infectum & pestiferum aërem valeant. Et certè cortex citri conditus, eiusdemque succus pestis contagia arcere apta sunt.

Malum Medicum veneni cuiuslibet amuletum esse probatur ex historia quadam quæ habetur apud Athenæum.

DE NERANTIIS, CAP. XXXI.

Proxima sunt, Itali dixere Nerántia primis,
Vincunt pelle, parum frigidus humor inest.
Verticibus miro sunt hæc gratißima odore,
Dulce sapit melius, pectoribusque fauet.
Sint folia arboribus seruata virentibus ipsis,
Cetera sunt mensæ commodiora tuæ.

QVæ Nerantia Itali vocant, ea Hispani Nazázas, Galli Aurengia, quòd auri colore reluceant, ex Latinis nonnulli Arantia nuncupant. E citriorum sunt genere

Aurengia seu arantia.

genere: nec antiquorum vllus separatim de his quidquam pronunciauit. Crassior est his pellis seu cortex, quàm citriis. Ea verò duorum sunt generum; quædam enim dulcia sunt, alia verò acida. Dulcia ante cibum quouis tempore sumpta, stomacho conueniunt: acida quoque, si priùs sublato cotio, detractisque membranulis, saccharo remollita fuerint. Nerantia duplicia.

De malis limoniis, cap. XXXII.

Aßyrij pariunt etiam Limonia campi,
Crediderim succo hæc vincere prima malo.
Cetera subducunt, nec prima vigoribus æquant.
Sic nullo variis ordine dantur opes.

MEdica mala quæ herbaceo colore virent, Limones nuncupantur. Eadem verò his vis quæ superioribus. Et de arborum quidem fructibus hactenus. Limones qui.

I H V:

HVGONIS FRIDÆVALLIS SAMPAVLINI, DE SANITATE TVENDA,

LIBER III.

PRÆFATIO.

ABSOLVTA libro superiore tractatione de frugibus, leguminibus, herbis, plantisq́, radicibus & arborum fructibus, in qua fortaßè plus æquo prolixiores fuimus, ne videamur homines, pecorum more solis herbis alere velle, carnes tandem adferre tempestiuum visum est. Ergo iam de alimento, quod ex animalibus sumitur, agamus. Secunda autem mensa proponi carnes debent, quæ copiosius & salubrius alimentum, quàm quoduis aliud edulium, corpori subministrant. Plutarchus tamen imprimis cauẽdam esse cruditatem, quæ ex esu carnium nascitur, scribit: propterea quòd non solùm protinus grauant vehementer, verum etiam in posterum noxiæ harum reliquiæ remanent. At optimum quidem fuerit ita assuefacere corpus, vt nullum carnium esum desideret. Idem in dialogo, in quo quæritur an brutis ratio insit, sic scribit: Vnicuique animalium vnus cibus natura conuenit, his quidem herba, illis autem radix vel fructus: carniuora verò ne debilioribus alimenta rapiunt. At homo fertur ad omnia voluptatibus & ingluuie ductus, omnia experitur, omnia gustat, & veluti nondum quid sibi proprium conueniensq́ sit cognoscat, solus ex omnibus animantibus omnium vorator est factus. Ac primùm carnibus vescitur, nulla indigentia difficultatéve coactus: quippe cui à plantis, seminibus, alia atque

Ab esu carnium abstinẽdum ex Plutarcho. In præceptis de tuend. bona valetud.

atque alia citra vllum laborem, suo quæq; tempore vindemiare, sumereq; ac decerpere semper liceat. Sed propter delicias rerumq; necessariarum satietatem epulis incongruis, atque immundis animalium iugulationibus, multo crudelius immanissimis abutitur feris. Mirũ tamen cùm vini carniumq; plenior vsus, corpus quidem validũ, athleticaq; firmitate facit, animum verò imbecillum & fragilem. Eam crediderim ob causam Pythagoricis interdictũ fuisse vsum carnium. Ceterùm, carnes pro diuersitate animalium etiam diuersæ sunt: hæ plus nutriunt, illæ minus: hæ tenuiorem, illæ crassiorem succum gignunt: hæ denique facilius, illæ difficilius concoquuntur. Animalium autem differentiæ peti solent à vita, actione, moribus, partibus. Differentiæ autem, quæ in morum, victuum, actionumq; ratione versantur, ex eo colliguntur, quòd alia aquatilia sint, alia verò terrestria. Rursus horum plures etiam sunt differentiæ. Terrestrium enim animalium (de quibus hoc libro tractationem instituimus, de aquatilibus sequenti libro dicturi) alia volucria sunt, alia verò pedestria. Pedestrium rursus, alia gressilia, reptilia alia, aliæ denique sunt tractilia, id est, tractim ambulantia. Prius tamen quàm de singulis animalibus particulatim agamus, expedire videtur, in genere de animaliũ carnibus primùm disserere, deq; eorum partibus & visceribus: quo absoluto, sigillatim singulorum in alendo vires exactiùs paulò discutiemus.

Pythagoricis interdictus carnium vsus.

Carnium diuersitas vnde.

Animalium differentiæ è quibus petendæ.

Aristot. cap. 1. libr. 1. de hist. anim.

Terrestrium animaliũ differentiæ.

LIBRI TERTII, SECTIO PRIMA, DE CARNIBVS.

De carnibvs non salsis, Cap. I.

Si domini fortaſſe liber te menſa vocabit,
Inſcie ne pecces, vltima menſa tua eſt.
Quadrupedes vario current huc ordine, pluma
Nobilis huc poſita quæque volabit auis.
Quadrupedũ humidior cibus eſt, tua portio dextrũ
Sit latus, vda (decet ſi tamen) oſſa pete.
Dulcius hæc guſtum alliciunt, tuus iſta tepeſcens,
Semianimisque calor concoquet igne leui.
Parua ſapis vel ſi mauis lactantia, cedant
Teſticuli teneris carnibus iſta licet.
Maſculus oblectet, faſtidit fœmina, pingui
Feruentes nimio ſubleuat illa cibos.
Externum incoctæ carni dabit olla liquorem.
Innatum retinent aſſa tepente foco.
Si te gratus odor volucrum trahit, ito: Cachinnos
Ne moueas domino ſimplicitate tua.

Quadrupedũ caro.

QVadrupedum caro humidior eſt equidem, ſi cum volucrium carne conferatur. hæc enim maiore vtuntur exercitio: quo fit vt ſicciora ſint: illæ verò minus quàm aues exercentur, eam ob cauſam copioſiore, eodemque excrementitio abundant humore. Animal enim omne quod exercitio caret, excrementitium eſt: ideoque etiam è quadrupedibus, volucribus, omnibus denique animalibus, quæ homini edendo ſunt, domeſtica feris, tum humidiora ſunt, tum excrementis magis abundant. Humidiorem igitur eſſe quadrupedum carnem ex his conſtat. Ex eorum autem genere alia aliis calidiora, frigidiora, humidiora & ſicciora ſunt. Proportione autem qua in tempera-

Animal exercitio carens excrementoſum eſt.

tura excedunt,& carnes quoque eorum differunt, & exuperant. Calidiorum enim natura animalium carnes non solùm nos alunt, sed etiam calefaciunt, frigidiorum refrigerant, vt desiccant aut humectãt, siccciorum vel humidiorum carnes. Eligendæ ergo sunt eæ carnes,quæ cuique salutares existunt: ex quorum alimento tale quale volumus hominis corpus redditur. Est etiam in sexu non parua animaliũ præstantiæ & bonitatis differentia. Castratorum enim masculorum caro,suauior est carne femellarum. At masculorum nõ castratorum caro virosum quid redolet. Animalis porrò lactantis lac laudabile,caro bona est, facileque per aluum secedit. In vniuersum verò iuniorum animalium caro præstantior est,quàm vetustorum,& augescentium quàm declinantium. media est autem inter vtramque ætatem florentium caro. praua admodum est valdè nouellorum; sed diuersa ratione,ac senum. Siquidem horum caro dura est, & exigui alimenti, sicca ac neruosa, ideoque ad coquendum difficilis. Contrà nuperrimè editorum animalium corpora muccosa sunt & humida: eoque excrementis plena. Hoc etiam loco id notandum est,animalis dextram partem & suauiorem,palato gratiorem,& concoctu faciliorem esse. Suauissima autem est,quæ ossa ambit caro,minoreque negotio conficitur. sinistra tamen melior est. Adhæc pro varia cocturæ ratione, etiam differentia quædam inest carnibus in alendi ratione. Assæ enim elixis magis nutriunt,quandoquidem humorem illæ non deponunt,foraminibus quę extra prominent coeuntibus, & ita contentum humorem intercludentibus, vt exprimi non possit. Elixa autem omnia assis sunt aridiora, Aristotele teste; calor enim quem externus humor habet,ab eo humorem prorsus elicit. Sicciores tamen sunt assatæ carnes elixis,id est, siccius corpori præbẽt alimentum: humidius verò quæ in aqua decoquuntur. Ceterùm,ex vniuerso animalium genere volucres facillimè cõcoquuntur,licet imbecillius alimentum suppeditent. His potissimũ in cibo vti nos debere suadet Plutarchus in præceptis de tuenda bona valetudine,his verbis: Subtilibus autem ac leuibus immoremur: cuiusmodi sunt olera pleraque, volatilia,& si qui pisces sunt nõ pingues. Siquidẽ fieri potest, vt his adhibitis,ita palato gratificeris, vt corpus tamen non graues. Denique illud etiam memoria tenendum est,quod generale existit,enutrita in montibus animalia,præstantio-

Carnes variæ pro varia animalium temperatura.

Bonitatis seu præstantiæ carnium differentiæ à sexu.

Ab ætate.

Dextra animalis pars præstantior.

Caro ossa ambiens suauior.

A coquendi ratione.

Assa elixis magis nutriunt.

cap.3.lib.4. Meteor.

Volucrium caro facillimè concoquitur.

ta esse, his quæ in planitie aut palustribus degunt.

DE CARNE PINGVI ET SALSA,

CAP. II.

Exitus est facilis pingui, & vix nutrit, auari
Salsa cibi est caro, ni sæpius inde bibis.

Caro laudabilis quæ. Caro pinguis

LAudabilis est caro, quæ media inter macilentam & nimis obesam existit. Quæ enim nimium pinguis est, concoctioni aduersatur (vt pinguia omnia) stomachum laxat, & appetentiam famemque tollit. Sed non parua existit difficultas in saliendis quibusdam carnibus: nam prorsus diuersæ atque aliæ euadunt, adeò vt sæpenumero animalis temperatura humidissimi salita caro, longè exicćtior euadat, ea quæ natura sua sicca erat. Iā verò animaliū omnium carnes non sunt saliendo idoneæ. Corpora enim animalium, quæ aut admodum mollem, aut valdè siccum & minimè excrementosum habent corporis habitum, ad saliendum inepta sunt. At quorum carnes duræ simul sunt & excrementitiæ, hoc est, per totas sese diffusum humorem pituitosum habētes, ad saliendum accommoda sunt. Sale autem conditæ carnes duræ sunt, & ad coquendum difficillimæ, cùm etiam tardè & parum alant.

Animalium carnes saliendo idoneæ quæ.

Salitæ carnes qualiter alāt.

LIBRI TERTII, SECTIO SECVNDA, DE PARTIBVS ANIMALIUM & visceribus,

CAP. I.

Quadrupedum effodias oculos, cerebella volucrū
Vda nimis, calidum ni piper addis erunt.
Sunt aquea & pluuio si turgent vbera lacte,
Carne minus sapiunt, nec sine lacte placent.
Colla iecurque calent, collum sed fortius humet,
Gallina, anser, anas, mollius hepar habent.
Pes placet anterior, sed non minus ala, tepores
Aërios non est hæc imitata minus.
Det volucrum aërios renes coquus, ipse lienem,
Pulmonem, ventres, siccaque corda voret.

Ani-

ANimalium ocult à paucis eduntur. Ex dissimili autem substantia constant: aliam enim naturam tunicæ, aliã musculi, aliam quod à Crystalli & vitri similitudine Crystalloides & hyaloides dicitur. Inter hæc musculi tantum facillimè concoquuntur. Cerebrum omne cibus est pituitosior, crassique succi & tardè permeans, atque concoctu admodum difficilis. Præterea stomacho cerebrum omne nocet, nauseam excitat, excrementitium & vomitioni accommodatum est. Si tamen à natura rectè conficiatur, alimentũ corpori præstabit non contemnendum. Volucria autem exiguum quidem cùm habeant cerebrum, ipsum est cerebro pedestrium tanto præstantius, quanto est durius. Volucrium autem ipsorum, montana cerebrum habent, quàm palustria præstantius, pro aliorum omnium proportione. Præstabit ea origano, pipere, similibusque aromatibus, ad tollendam eorum humiditatem, & aceto condire. Mammillares glandulæ cùm lac habent, de ipsius etiam dulcedine aliquid præ se ferunt. Quapropter cùm lacte plenæ sunt, summopere à gulosis expetuntur, præcipuè vero suillæ & vaccinæ. Alimentum autem quod ipsæ corpori prębent, siquidem probè in ventriculo concoctæ fuerint, propè ad alimentum carnium accedit. Quod si minus quàm sat est sint confectæ, succum crudum & pituitosiorem generant. Colla volucrium cum caudis animalium similitudinem quandam habent. hę verò duræ sunt, concoctuque difficiles: motionis autem causa minus excrementosæ sunt. Omnium animalium iecur crassi est succi, cõcoctu difficile, & tardè permeans. Præstantissimum habetur suillum hepar, si quando id animal caricis nutriatur, quod propterea συκωτὸν, id est, ficubus altum vocant. Salubriora sunt (si Platinæ credimus) gallinacea iecinora, item anserina & anatina. Pulmo tanto est liene & hepate ad coquendum facilior, quanto est rarior. minus tamẽ quàm hepar nutrit, & pituitosius est id alimentũ, quod corpori præbet. Cor substantia constat fibrosa & dura, ideoque difficulter concoquitur, & ægrè permeat. Si tamen probè conficiatur, alimentum corpori exhibet non paucum, neque mali succi. Lien gustu & suauitate ceteris visceribus præstare videtur. Est enim in eo perspicua quædam acerbitas. Praui autem esse succi creditur, vt quod humoris melancholici receptaculum fuerat, melancholicum sanguinem etiam generet, si quis frequẽtius eo in cibo vtatur. Porcinus

Oculi. Cerebella. Volucrium cerebrum. Vbera seu mammæ. Colla. Iecur. Hepar suillũ συκωτὸν. Pulmo. Cor. Lien.

Renes. splen ceteris minus insalubris censetur. Renes grauis saporis, praui admodum succi, & concoctu difficiles existunt, maximè adultiorum animalium: iuniorum autem & adhuc lactantium præstantiores sunt: illi enim ad siccitatem declinant. Exiguum corpori præbent alimentum. Ventricula & intestina carne duriora sunt, ægrè conficiuntur: etsi etiam ritè conficiantur, succum tamen gignent non planè sanguineum neque inculpatũ, sed frigidiorem & crudiorem: proinde multum temporis requirunt, prius quàm satis confici, & in probum sanguinem mutari queant. minus tamen sunt improbanda volucrium ventricula & intestina, aut iuniorũ etiam animalium. Pedes humorem lentum & viscosum gignunt, sed non multum crassum, immò verò laudabilem, & qui paucis scateat superfluitatibus. Apponi debent prima mensa. A medicis porrò anteriores animalium partes magis quàm posteriores probantur. Volucrium autem pedes cibo sunt inepti. Alæ auium saluberrimi sunt alimenti, excremẽtis enim partes hæ ferè carent. Caro testiculorum melior est aliis, inquit Auicennas. Galenus tamen huic prorsus aduersatur: sic enim ille: Testiculorum caro mali est succi, ægrè coquitur, exceptis gallinaceorum testiculis.

Ventriculus & intestina.

Pes.

Alæ auium.

Testiculi.

LIBRI TERTII, SECTIO TERTIA, DE PEDESTRIBVS ANIMALIBVS.

DE VITVLO, BOVE, ET TAVRO, CAP. I.

Aßiduos habeant vitulum tua prandia in vsus,
Cui madida & sapido iuncta tepore caro est.
Terrea bilem affert, terram digesta per annos
Nunc eme, sic stomacho fit leuis esca tuo.
Ne tamen incertis natura laboribus erret,
Cogetur pando Bos dare colla iugo.
Spectet ad exortum solem frons frigida Tauri,
Siccior est, hyadas si fouet illa, sapit.

Bouis vtilitas. BOs magno vsui est mortalibus, aratione, vectura, lacte, caseo, & corio ad calceorũ vsum. Eam ob causam apud

veteres

veteres tam capitalis habebatur, qui bouem temerè & absque causa, quàm qui hominem, occidisset. Quosdam etiam apud Romanos in exilium actos legimus, quòd bouem tanquam colonum interfecissent. Sed & quemadmodum olim ab Aegyptiis, ita nunc ab Indis, qui Cuchim regnum incolunt, bos peculiari cultu pro deo habetur, eumque Tambaram nuncupant. Nonnulli antequam boues mactent, eum ad aratra componunt, nimirum ea ratione existimantes eorum teneriorem carnem reddi. Nec equidem fallútur, cùm, vt suprà diximus, exercitatione & labore absumatur, quod eis excrementitium inest. Caro bubula frigidæ est & siccæ naturæ, ægerrimè & coquitur & concoquitur: crassum, turbidum & melancholicum succum creat. Quod si quis naturali temperamento melancholicus magis fuerit, affectu aliquo melancholico prehendetur, si largius carnibus bubulis vescatur. Præstantiores autem futuræ sunt carnes hæ, si pinguiores fuerint: macilentæ enim insuaues, minusque palato gratæ sunt. Animalia enim omnia, quibus alimenta propria affatim suppetunt, longè seipsis in cibo euadunt præstātiora, quemadmodum deteriora fiunt, quibus ea minus adsunt. Pinguescunt autem boues, vt scribit Aristoteles, iis quę flatus cient, eruo, faba fresa, atque ipsa etiam fabarum herba: hordeo integro, vel pinsito & à gluma separato: dulcibus, ficu & passo, vino, & frondibus vlmi; maximè verò sole, & lotione aquæ calidæ. Bubulæ carnis esus, siquando salubris existit, hiemi vel autumno magis accommodatus est: requirit enim caro hæc ad sui confectionem, calorem & copiosiorem & vehementiorem, qualem corpora nostra, per hibernum tempus habent. Taurorum autem caro omnino prauum succum gignit, ideoque in totum ab eius vsu est abstinendum. Vitulina autem caro tutiùs quàm bubula editur; temperati enim alimenti & probi existit, & ad conficiendum præstantioris.

Bouem temere occidere capitale erat.

Bos olim pro deo habitus. Tambaram.

Carnis bubulæ temperamentum & alimentum.

Qua ratione boues pinguescant.

Bubula caro quo anni tempore præstantior.

Taurorum caro.

Caro vitulina.

De haedo et capro, cap. II.

Hædulus ad domini saltet, sed frigidus, aras.
Vix calet, illa ægris vda alimenta feret.
Cùm malè olet, siccat, fit iā Caper improbus, absit,
Et cadat ante focos victima Bacche tuos.

Hædina caro.

HAEdina caro lautè viuentibus potiſſimùm conuenit. Nullum enim carnis genus inter animalia domeſtica potius habetur hædina carne. In hædo enim naturalis ſiccitas ætatis humiditate temperatur. Sapiunt autem hædi tum maximè bimeſtres aut etiam trimeſtres, ſi mater lacte abundet: adultiores primam amittunt gratiam. Huiuſcemodi autem carnes natura calidæ cùm ſint, frigidæ comedędæ ſunt, vt ceteræ omnes, quę talem naturam ſortitæ ſunt. Caro autem caprina omnino ſicca eſt & calida: atque pręter ſuccum vitioſum etiam acrimoniam habet. Hircorum autem caro, tum ad coquendum, tum ad ſuccum bonum generandum eſt deterrima. Quærit Plutarchus in Problematis Romanis, quid cauſæ ſit, quòd cane & capella ſacerdotem adeò abſtinere voluerunt priſci, vt non modò attingere, ſed ne appellare quidem liceret. Cui quæſtioni ſatisfaciens, ait, eos perpetuò abhorruiſſe capram, quòd luxurioſum & olidum ſit illud animal, quodque tanquam morbidam timerēt. Videtur enim inter cetera animalia comitiali morbo laborare, & qui guſtarint aut attigerint, huius morbi aliquid inurere. Adhæc dignoſcuntur Epileptici ſuffitu vngulæ caprinæ, item comeſto iecore hircino, aut ſolo eius cocti odore. Porrò caper à carpendis virgultis dicitur. rodit enim omne virgultum, & imprimis vites: propter quod caper Baccho immolari ſolebat. Immolabatur quoque Mineruæ, quòd oleas, earum ramulos rodendo, vel etiam lambendo ſteriles faceret.

Carnes natura calidæ, frigidę comedēdæ ſunt.

Caro caprina

Hircorũ caro.

Problem. 111

Caper comitiali morbo obnoxius.

Epileptici vt dignoſcantur

Caper vnde dictus.

De ove, agno et vervece, cap. III.

Anniculus placeat, vel ſi ſine teſtibus Agnus,
Pinguior eſt Hædo, quum calet olla vores.
Hunc amo, ſi duri per paſcua montis anhelat:
Maluero ſi auri vellere diues erit.

Agni caro.

AGni carnem habent humidiſſimam ac pituitoſam: lentorem quoque & mucorem in ſe habere cenſetur eorum caro, quo nomine fugiendi ſunt. At anniculo humore non perinde abundant & affluunt. Poſt ſeparationem enim à lacte & vberibus intenditur calor, & humiditas temperatur. Ouium verò excrementoſior, & ſucci deterioris eſt: arietina deterrima: at veruecina probatur. Calida enim eſt & humi-

Caro ouilla.
Arietina.
Veruecina.

humida, ad temperamentum tendens. Agnina autem caro, & similes frigidæ, dum adhuc calent, comedendæ sunt.

DE SVE ET APRO, CAP. IIII.

Sus tibi cœnoso sit cœna domesticus ore,
Grata ferat nobis mensa hiemalis aprum.
Ille licet currat de vertice montis, aquosæ
Carnis erit, pluri sed tamen apta cibo est.
Hunc feritas siluæque domant, & inania saxa.
Post melius posita rusticitate sapit.

Isidorus suem à subigendo dictam existimat, quòd terrã rostro subigat propter cibum. Terram enim sulcat & subuertit, vt dentibus perueniat ad radices. Porcus autem mas est, dictus quasi spurcus, se enim ingurgitat cœno, & luto se immergit & limo, in fœtidis sordidisque locis quiescit, vnde Horatius suem luto amicã esse dixit. hi domestici sunt. Agrestes verò apri dicuntur, quasi asperi. sæui enim sunt & immites. Nihil mirum si Xanthiis infestus sit aper. Eorum enim fines aprum immensæ magnitudinis inuasisse tradunt, fruges fructusque circumquaque destruentem: qui tandem à Bellerophonte occisus fuit. Plurimi pulpamenti sus non modò hominem cibat, sed & delicias præstat ad luxum. Omnium autem ciborum, suium caro potentissimè alit. Cuius rei athletas certissimum prębere indicium scribit Gal. lib. 3. de alim. Si enim paribus exercitationibus parem molem alterius cibi pridie totum diem comederint, postero die statim sentient sese redditos imbecilliores. Quod si pluribus deinceps diebus id fecerint, non imbecilliores modò, verũ etiam alimenti penuria macilentiores palàm conspiciuntur: sed crassum & viscosum succum corpori exhibent. Ex suium porrò carnibus, hominibus quidem ętate florentibus, fortibus, & qui multum sese exercẽt, suium ætate florentiũ, carnes ad coquendum sunt præstantiores, aliis verò suium adhuc increscentium. Sues mediocris ætatis ad bonos humores gignendos aptissimæ creduntur. Si enim talium carnes exactè in ventriculo concoquantur, tum in sanguinem à iecore conuertantur, probatissimos humores gignent. sed quia glutinosi aliquid in se habent, in iis iecur obstruunt & renes, quibus hæc à natura adstrictos meatus habent. Adde quod

Sus vnde dicta.

Porcus cur sic dictus.

Apri.

Xanthiis infestus aper à Bellerophonte occisus fuit.

Suilla caro omnium potentissimè alit.

Suium ætate florentium caro qualis alimenti.

quòd horum vſus vberior, in ſupradictis particulis vel grauitatem vel dolorem nonnunquam facit. Ceterùm, vt id etiã veluti per tranſennam attingamus, ſus elephanto ſimilis eſt. Quam ob cauſam, vt opinor, ſtultiſſimus ſimul atque nequiſſimus impoſtorum omnium Mahomet, in arca Noe ſuẽ ortum ex elephanti ſtercore blaterat. Nihil alioqui elephanto infeſtius. Eius enim ſolo ſtridore, quod facere tela nequeunt, in fugam vertitur.

Sus elephanto ſimilis.

Mahomet impoſtor nequiſſimus.

De capreolo et dama, cap. v.

Iam canibus laqueos iniungite, iam lacer vdam
Tingit humum roſeo ſanguine Capreolus.
Hic optata feret nobis fomenta calore
Vda leui, modicis moxque fouenda focis.
Damula aduſta magis, ſi matris ab vbere rapta
Huic prior in noſtro forte erit orbe locus. [eſt:

Capreoli caro.

CApreoli caro ex velocitate motus, & curſu aſſiduo à ſuperfluis humiditatibus exoneratur, teneriorq́; & cõ coctu facilior efficitur, eiuſque ſaporis & odoris grauitas tollitur. Capra ſilueſtris à Barbaris Capricornus dicitur. Apud Latinos generis nomen eſt Rupicapra. Species duæ, Ibex, à quibuſdam qui ſeſe Cimbrorum reliquias profitentur, corrupta voce Strambec: altera ſpecies Caprea dicitur. Ab hac parum diſtat dama, ſolo ſcilicet cornuum flexu. Antrorſum enim hinc ſpectant, quibus adminiculis tanquam vnco prominentes rupes apprehendit, neque aliter inacceſſas montium verrucas ſuperare poteſt. Græci πρόκα, δόρκον, & δόρκαδα nuncupant. Exiſtimat Platina Capreę ſpeciem eſſe. Bonum alimentum tum caprea tum dama corpori exhibẽt, & minus excrementitium. Sanguinem tamen ad atram bilem aliquantulum tendentem creant, vt feræ propemodum omnes. Ceterùm, non pauci tradunt toſtum capreæ ſeu capreoli iecur commanducatum, oculorum aciem reficere.

Capræ ſilueſtris ſpecies duæ.

Alimentum capreoli & damæ.

De bubalis, cap. vi.

Bubalus hinc abeat, néue intret prædia noſtra:
Non edat hunc quiſquam, ſubiuga ſemper eat.

Bubalus bouis genus.

BVbalus eſt bouis atri genus, quem Itali nunc Bufalum vocant, maximi roboris, depreſſiore quàm bos magnitudine,

tudine, sed corpore compactiore, latiore, pleniore, firmiore: cornua non tam teretia quàm pressa, nec surrecta, sed deorsum versum retroflexa. frontem corneam habet: etiã domitis maxima ferocia, quæ corrigitur vitulis annulo ferreo pridem naribus inserto, cui funiculus inditus pro habenis est. Nonnulli ex recentioribus tradunt succi crassioris esse, & improbioris. Veterum mensis minus apponi solitam bubalorum carnem, ex eo quis colligere potest, quod eius né meminerint quidem. Bubali porrò in medicina varios vsus lege apud Plinium cap. 16. lib. 27. suæ natur. histor.

De cervo, cap. VII.

Terreus est, volitat sed Ceruus: retia tendas
Ne fugiat, neruis quum tumuere fauet.
Si vereare nigram bilem, sit captus anhelo
Esca cani, cordis sed prius ossa legas.
Illa venenatum poterunt depellere virus:
Sic nihil est penitus, quod sine laude voces.

Ceruum ἀπὸ τῶν κεράτων dictum putant. Mirum certè naturam animali ignauissimo, cornua magnitudine visenda asperitateque ingenerasse. Timidum enim animal est, & simplex: statim enim si à venatoribus insectetur, ad fugam se comparat. cursus verò est velocissimi. Tradunt ceruos editos partus ad cursum exercere, & docere eos ad fugã se parare, ad prærupta eos ducere, & saltandi modum eis indicare. Caro ceruina, Platina teste, bubulæ similis est. Tardè enim concoquitur, parum alit, ac bilem atram auget. Galenus quoque concoctu difficilem esse ceruinam carnem, & vitiosum sanguinem gignere: ideoque ab eorum esu abstinendum esse. Esui tamen æstate, maximè verò mense Augusto, fructuum scilicet tempore, quàm hieme suauior est: tũ enim pinguescunt, ideoque latebras quærunt nusquam apparentes, vt qui pondus pinguedinis ad cursum incommodum sentiant. In ceruorum corde inueniuntur ossicula, quæ multis morbis salutarem opem conferunt; maximè autem venenis aduersantur: ideoque theriacalibus propemodum aut certè omnibus confectionibus admiscentur.

Ceruus vnde dictus.

Caro ceruina

Quo anni tẽpore ceruina caro præstantior est.

Ossa in ceruorum corde inuenta.

De lepore, cap. viii.

Auriti leporis mihi pulpamenta reponas,
His meus abradi iam didicit stomachus.
Ignea sunt, aluum durant, sed renibus arctas
Et femori norunt hæc reserare vias.
Iuppiter alme, datur lepori si sexus vterque,
Nec fera, nec malus est, omnibus esca placet.

Lepus vnde dictus.

ISidorus ait leporem, quasi leuipedem dictum esse, à velocitate cursus; quod tamen Varro improbat. Nullum armorum genus, quò se contra aduersa tueatur, lepori datum est: sola est illi concessa membrorum leuitas, & cursus agilitas, aduersus insequentes eum tum bestias, tum etiam venatores. Debilis est visus, vt cetera animalia quæ dormiendo palpebras non claudunt. Melioris est auditus, quàm visus; præsertim arrectis auribus, quas valdè longas & flexibiles habet. Talis autem aurium structura illi fuit necessaria ad oculorum tutelam: auribus enim oculos apertos tuetur ab iniuria muscarum, & reliquorum animalculorum debiles eius oculos infestantium. Controuersia magna est de leporis temperamento. alij enim leporinam carnem calidam esse asseuerant: alij verò frigidæ & siccæ temperaturæ esse contendunt. In ea enim est opinione Auic. & Plat. Leporina caro (inquit Platina) frigidæ & siccę naturæ est, & ob eam rem atram bilem facit. Galenus quoque leporum carnem, crassiorem sanguinem gignere ait: eam tamen succi melioris esse vult, quàm bubulam aut ouillam. Tardius per aluum descendit, vt sicca & terrena omnia. Sanguis eius frixus confert dysenteriæ, apostemati intestinorum, & antiquæ alui solutioni. Sanguine leporino frangitur & comminuitur lapis, tam in vesica quàm in renibus contentus. Tanta est lepori à natura concessa fœcũditas, vt nonnulli crediderint, sine mare gignere, & vtrumque habere sexum. Tradunt enim simul parere lepores, in vtero gestare & concipere. Mirum certè est, quòd de astu leporum in catulorum suorum custodia commemorant; quod tale est, lepores in cubile se recepturi, catulos alium aliò trãsferunt sæpius iugeri etiam interuallo dissitos, vt si vel homo vel canis subeat, idem omnes in periculũ non cadant: ipsi deinde impressis discursu multiplici prius

Leporinæ carnis temperamentum controuersum.

Sanguis leporinus.

Fœcunditas leporum.

Leporum in catulorũ suorum custodia astus.

prius vestigiis, saltu postremo ingenti, inde abripiunt sese, atque sic cubant. Plinius magnum omnino vsum leporis mulieribus esse tradidit. immò falsa vanaque opinio iam increbuit, frequenti cibo leporinę carnis formosiores effici. quod facetè admodum ridere videtur Martialis hoc epigrammate:

Si quando leporem mittis mihi, Gellia dicis,
Formosus septem Marce diebus eris.
Si non derides, si verum Gellia narras,
Edisti nunquam Gellia tu leporem.

De cvnicvlo, cap. ix.

Credideram Leporem, sic forma simillima fallit,
Ambo superfœtant, dente vel aure pares.
Ambo timent, distant tamē, vda cuniculus affert
Fercula, viscosum semimitata gluten.
Hunc torre igne tamen, suffossa euertere castra
Bethydis audebit si modò credis aquis.

Leporum duo sunt genera: maius vnum, alterum minus: maius id est, de quo superiori capite diximus: minus autē id est, quod sub terra in cuniculis, vnde nomen accepit, vitam magna ex parte ducit. In Iberia plurimos nasci scribunt Galenus & Plinius: par est eorum fœcunditas, leporum fœcunditati. Sic verò Aristoteles: Coeunt lepores, & pariunt quoquo tempore: dumque vtero ferunt, superfœtār, & singulis mensibus generant. Cuniculis Baleares insulas exundare tradit Strabo, & Balearicos ipsos, contra innumeram eorum turbam, ab Augusto militare auxilium petere coactos fuisse. Assari debent cuniculi, quòd eorum caro sit paulò humidior. Parū tamen abest à leporina: immò si Platinæ credimus, cuniculorum caro & melius & facilius alit. Leporum vulgatissima est venatio, facilior enim est quàm vllius alterius siluestris animalis. Vnde Archedamus Zeuxidami filius, Corinthiorum vrbem cum exercitu aliquando aggressus, quum lepus ex loco muris vicino excitatus esset, ad milites inquit, Faciles captu sunt nostri hostes. Ita Lysander, posteaquàm ab eo Corinthij defecerunt, quum aliquando iuxta illorum muros transirent, videretque Lacedæmonios pigrè inuadere, ac leporem è fossa quadam exilire spectasset,

Leporum genera duo.
Lepores in Iberia plurimi.
cap. 33. lib. 6. de hist. anim.
Strabo.
Leporum venatio.
Archedamus.
Lysander.

ſpectaſſet, Non pudet vos, inquit, ô Spartiatæ, iſtiuſmodi hoſtes timere, quorum inertia lepores in muris dormiunt.

De herinaceo, cap. x.

Si tibi Echinus adeſt, ſtomachum fouet, ilia mollit,
Humet, & vrinæ membra relaxa tenet.
Febris in antiquæ cœna optatiſſimus, ægris
Antidotum neruis nobile ſalſus erit.
Scilicet hic mos eſt, naturæ excelſa recondit
Munera, dumoſum tot bona tergus habet.

Ericiorum genera multa.

ERinaceorum, ſeu Ericiorum, ſeu Echinorum multa habentur genera, vel ipſo Ariſtotele in ſua animalium hiſtoria teſte: hic autem de terreſtri ſolummodo agimus. Mirum quòd homines ſpinoſis & aculeatis animalibus, nimirum vt gulæ ſatisfaciant, non pepercerunt, vt ſcilicet demõſtrent nihil non in eorum vſum à natura creatum eſſe: Mirũ, inquam, cùm animantis genus hoc, nil aut certè pauxillum admodum carnis in ſe contineat. Echini effigiem deſcribere hoc loco nihil eſt opus. Admirabilis equidem in multis animalibus eſt naturæ induſtria, maximè in cuiuſque conſeruatione: imprimis verò erinaceorũ in defendendis tuendiſque ſe dexteritas prouerbio locum fecit:

Erinaceorum in defendendiſſe induſtria.

Scit vulpes multa, vnum ſed magnum erinaceus:
Nam hac vrgente, ſic ferunt calyx velut
Nucis caſtaneæ, circumſſ inas rotans,
Tutus iacet nulla arte vulnerabilis.

Mira pro catulis herinaceorum ſolicitudo.

Sed adhuc magis mirari illius animalis pro catulis ſolicitudinem ac prouidentiam oportet. Vites ſubit vindemiarum tempore, pedibuſque botrorum acinos in terram decutit: hos iſthic circumuolutatus, excipit confixos ſpinis: mox vt ſubiit antrum, partim nunc quidem ex ſe decerpendum, partim condendum catulis præbet. Tradunt ericiorum cubilia meatus duos, vnum ad Boreã, alterum ad Notum faucium inſtar habere: hos prout cæli mutationem præſentiuere, vicibus, alterum in aduerſum ventum ſpectantem obſtruunt, alterum aperiunt. Atque hoc Cyzicenus quidam cùm obſeruaſſet, nomen ſibi ex eo peperit, quaſi ventos prædicere ſiderali ſcientia poſſet. Videtur autem herinaceus vitæ hominum ſuperuacuus: ſunt tamen carnes illius plurimi vſus.

Ericiorum cubilia meatus duos habent. Cyzicenus quidã, ex obſeruatione & induſtria ericiorum, famã ſibi cõparauit.

Carnis herinacei plurimus vſus.

Sto-

Stomacho enim confert, ventrem lenit & prouocat. Erinacei terrestris caro manducata, vel eadem desiccata, Galeni au ctoritate, bibenda datur elephanto obnoxiis, cachecticis, hoc est, qui malo sunt corporis habitu, conuulsionem sæpè patientibus, nephriticis, & iis qui aqua inter cutem laborãt, quam Anasarca vocant. Quod si ea præstat, facultatem habuerit valenter digerentem simul & desiccantem. Eiusdem caro multum facit ad antiquas febres. Ceterùm, in India & Africa histrix peculiariter generatur, animal ericio seu etinaceo simile. Est autem è suillo genere histrix: magna enim est vtriusque rictus similitudo. Aiunt nonnulli erinacei speciem esse; ab eo tamen rictu distinguitur & pedibus: digitati sunt erinaceo, bifidi verò histrici. Recentiorum nonnulli tradidere scriptis, histricem esse animal nocturnum, interdiu somno premi: caput leporinum ei tribuunt, breues auriculas sincipiti adhærentes, dentes vt lepori binos infrà & suprà, longos ac digitatos pedes: etiam vini potorem faciunt. Quod si historiam hanc cum Aristotele histricem depingente, aut Plinio conferas, miraberis hominum impudentiam, qui ita mentibus legentium suas fabulas imponere, & illudere non verentur: ita euenit, vt qui vel Plinij vel Aristotelis scripta nondum euoluerũt, illecti inscriptionum recentiorum huiusmodi auctorum nouitate, errores hosce quasi maternum lac bibant, quod prauum ingenij alimentum, tanquam in indiciorum membra transmutatum, nunquam posteà deponere possint.

lib. 11. de simplic. medic. facult.

Facultas carnis herinacei.

Histrix erinaceo similis.

Recentiorum error in describenda histrice.

De glire, cap. xi.

Nil iuuat vmbrosi latitare cubilibus antri
Glis tibi, vita & mors hic tibi somnus erit.
Nec pingui nocuisse malo, ingeniosa libido
Interdicta gulæ noxia quæque vorat.

Glires animalia sunt muribus similia, quos in epulis lautiorum Romanorum olim gloriam non obscuram obtinuisse tradunt. Nullo in pretio apud Græcos fuisse, nec illorũ mensis offerri solitos glires verisimile ex eo fit, quòd ne vnum quidem auctorum Græcorum, quos legerim, gliris, vt cibi, meminisse comperiam. nec dum equidem qualis sit cibus, sum expertus. Nouum hoc genus sibi gulonum animus comperit, inque vicem multa alia perdit, salubriora

Glires in pretio apud Romanos.

ad vitam venenis naturæ prorsus aduersantibus postponens. Maximam anni partem, hiemem scilicet totam dormiunt glires, & immobiles ac si mortui essent, manent. vnde Martialis de iis sic cecinit:

Tota mihi dormitur hiems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

In reliquis à natura murium nihil differunt.

DE CARNE ASININA, VVLPINA, VRsina, & reliquis id genus carnibus, CAP. XII.

Carnes animalium, de quibus huc vsque egimus, omnes ferè sunt, quę tum nobilium, magnatumque, tum etiam inferioris conditionis hominum mensis, quotidiano in vsu esse solent. Quæ verò à nobis hoc capite tractabuntur, tantum abest, vt in cibo frequenti sint, vt necdum mensis nostris assueuerint. Harum tamen in alendo vires ex Galeno describemus, vt singulorum palatis satisfaciamus: forsitan enim aliæ aliis sunt placituræ. Nonnulli ergo etiam asinorum domesticorum carnes mandunt, quæ pessimi sunt succi, & concoctu difficillimæ, stomachumque lædunt, & prætereà edendo sunt omninò insuaues, quemadmodum equorum & camelorum carnes, quibus ipsi homines animo & corpore asinini & camelini vescuntur. Sunt qui & vrsis, & iis adhuc deterioribus leonibus ac pardis vescantur, semel aut bis elixatis: alij canibus, quos & ipsos iuuenes ac pingues, & potissimùm cùm castrati fuerint, auidissimè mandunt, vescuntur. Alios pantheræ, agrestes asini alios in cibo delectant. Nonnullis etiam vulpina caro placet. Quæ omnes, & si quæ sunt aliæ his similes, terrenum & melancholicum, & prauum prorsus succum gignunt, vt testatur Galenus cap. 6. lib. 3. de loc. affect. Præterea vt duræ sunt huiusmodi carnes, ita tardius & difficilius concoquuntur. Omitto quòd eæ in cibo frequentiore, multorum & grauissimorum morborum origo sint.

Asinorũ domesticorum caro.

Equorum & camelorum carnes.
Caro vrsina.
Leonina.
Canum caro.
Pantheræ.
Agrestes asini
Caro vulpina

DE LACTE, CAP. XIII.

Dulce sapit, subitò cur lac putrescit? aquosum est.
Quod præstat? capræ. post? ouis. inde? bouis.
Cui nocuum? capiti, putridis & febribus, ora

Inficit

Inficit & neruos, ſed benè pectus alit. [mnus
Quando bibam? primũ quum ſugis ab vbere, ſo-
Huic, moneo, & motus, mixtaque mẽſa nocet.
Tot petis, vnum oro: cur in contraria fertur,
Et modò lac reſerat, & modò fluxa tenet?

LAc inter cibos qui ab animalibus ſumuntur numerandum eſſe ſcribit Galenus in libris de alim. facult. Lac autem ab eius nomine Græco, nimirum ἀπὸ τοῦ γάλακτος deducitur, vel à laciendo, quòd admotis mammis infantes alliciantur. Plutarchus in opuſculo de liberis educãdis, docens matres debere filios ſuos educare, ſimul cauſam reddit, cur natura lac animantibus ſuppeditet. Quòd matres, inquit, eos quos progenuerint, nutrire alereq́ue conueniat, ipſa etiam natura demonſtrat. vnicuique enim animantiũ generi, quæ pariunt, idcirco ſimul & lactis alimenta ſuppeditauit. Eius quoque ſapientem fuiſſe prouidentiam conſtat, quæ duplices mulieribus mammas addidit, vt ſi gemellos peperiſſe contigerit, duplices ad alendum fontes haberent: præterea vt maiorem in eos quos procreaſſent, amorem, beneuolentiam q́ue fouerent. Primum lac quod ex fœtis animalibus mulgetur, coloſtrum appellatur. id autem ideò abiicitur, quia lactantibus nocet. Pythagoras ideò primam naſcentibus lactis alimoniam offerri, ait, quia primus eius motus à lacteo incipit, in corpora terrena labentibus. nam & à lacteo circulo deorſum incipere Ditis imperium putat, quia animæ inde lapſæ videtur iam à ſuperis receſſiſſe. Nos verò exiſtimamus nullũ gratius aut familiarius dari pueris alimentũ poſſe, eo cui iam ab vtero aſſueuerũt, ac ſanguine dum adhuc in vtero geſtamur ali nos conſtat: ex ſanguine verò lac gignitur, exiguam in mammis mutationem adepto. quare qui matris lacte pueri aluntur, ij non ſolùm conſueto, verumetiam maximè proprio vtuntur alimento. Plutarchus Sympoſiacorum quarto volumine, memoria prodidit, vt id etiam obiter dicamus, Soſaſtrum nullo alio cibo aut potu, quàm lacte totius vitæ curriculo victitaſſe. Lac ſenſui quidem ſimilare apparet, ex diuerſis tamen ſubſtantiis, facultate diuerſis conſtat. quod indicat coagulatio. Ex hac enim tribus eſſentiis lac conſtare deprehendetur, caſeoſa ſcilicet, ſeroſa & pingui. verùm ex hiſce pinguis quidem

Lac in quo alimenti genere reponendum.

Lac vnde dictum.

Cur lac animantibus à natura datũ.

Coloſtrum.

Cur lac primùm ſit infantium alimentum, ex Pithagora.

Lac pueris eſt alimẽtum accommodatiſſimum.

Soſaſter.

Lac diuerſis ſubſtantiis conſtat.

vel maximè temperata est: crassa verò paulùm ab ea declinat: at excrementum illud serosum frigidum est & humidũ. In lacte autem haud parua est pro anni temporibus differẽtia: & ea adhuc maior, pro ipsorum animalium specie. Boũ enim lac crassissimum est ac pinguissimum: liquidissimum autem ac minimè pingue camelorum, mox equarum, deinde asinarum: mediæ autem consistentiæ est caprarum: hoc crassius ouium. Secundum anni tempora, lac post partum est liquidissimum, temporis verò progressu magis ac magis crassescit. Aestate media ipsum etiam in medio suæ naturæ consistit. Post id autem tempus sensim crassescit, quoad penitus deficiat: vere vt liquidissimum, ita etiam copiosissimum. sed & pro pascuorum varietate, lac naturam suam nõnihil variat. Est autem illud lac optimum, quod nullã qualitatem externam odore gustúve præ se ferat; sed sit quã dulcissimum, & sibi ipsi continuũ, & prout lacti conuenit splendens: ante omnia verò quo ad eius fieri potest, similes partes habeat necesse est. In vniuersum enim lactis bonitas colore, odore, sapore, & substantia dignoscitur. Colore summè albo, splendido, claro, & non liuido: odore sincero aromatico, non horribili: sapore dulci, non acerbo, non aceroso, non amaro, non salso: substantia media inter spissum & tenuem, sic vt vngui gutta superposita non spargatur, sed in se coacta permaneat. Cùm autem admodum ingens in animãte calor extiterit, tantam acquirit lac dulcedinem, quantam mel deperdit, ab eadem caliditate, ac si gustari posset, vbi in ventre & per venas concoctum est, ipso etiam melle dulcius inueniretur. Ob id verò nihil eo ferè facilius alteratur. Si enim pluri calori incumbat, euaporat statim, & quàm celerrimè in nidorem fuliginosum vertitur; in ventriculo autem frigidiore acescit. Statim verò non lac solùm, sed etiam semen & sanguis corrumpuntur propter partium subtilitatẽ: aduentitiis enim impressionibus minimè resistunt. Ceterùm, lac caprinum ceteris præstare dicitur. Aluum enim minus tentat: quoniam pecus hoc adstringentibus pabulis, robore, lentisco, frondibus oleaginis, atque terebintho magna ex parte vescatur. est quoque mediocris substantiæ. Ouillũ lac dulce est, crassum & præpingue: ob eamque causam non perinde vtile stomacho existit. Bubulum autem, asininum & equinum ventri magis idonea sunt, sed ipsum turbant. Lac pectus lenit, & antiquam tussim. pulmonis vlceribus tabi-

Lactis differentiæ pro diuersitate animalium. *Pro anni temporibus.* *Lac optimum* *Lactis bonitas quibus dignoscatur.* *Lac dulcedinem à calore acquirit.* *Lac semen & sanguis facilè corrũpuntur.* *Lac caprinũ.* *Ouillum lac.* *Bubulum, asininum & equinum lac.* *Lactis vires.*

tabidiſque nihil vtilius lacte. Manè ieiuno ſtomacho, vt exit ab vbere, vel tepidum bibendum eſt lac, & tandiu à reliquo cibo abſtinendum, donec in ſtomacho reſederit. Et verò purus & à prauis humoribus repurgatus debet eſſe ſtomachus. nam in eos humores quos in cibi receptaculo deprehendet, facilè conuerteretur. Quieſcendum quoque eſt, ſtatim enim ex motu & agitatione aceſceret. Sumptum autem cum ſaccharo aut melle à putredine prohibetur. Non eſt autem lacte vtendum potus vice (ſiquidem Plutarcho habenda fides) ſed cibi loco, vt quod grauedinem inducat, & copioſè nutriat. Illud autem lac boni ſucci eſſe, & multi alimenti exiſtimandum eſt, quod ex contrariis ſubſtantiis ac facultatibus conflatum eſt, ſubducendi ſcilicet, & ſiſtendi, obſtruendique ac tenuandi. Quod namque eius ſeroſum eſt, ſuccos craſſos tenuat, & aluum ſubducit: quod verò caſeoſum eſt, aluum ſiſtit, & craſſos ſuccos gignit. Nunc videndum quibus ſalubris aut inſalubris ſit lactis vſus. Ergò ſcribit Hippocrates, lac caput dolentibus malum eſſe: item febricitantibus, & quibus ilia ſuſpenſa murmurãt, & ſiticuloſis: adhæc etiam quibus bilioſæ deiectiones ſunt, febre acuta laborantibus, & quibus copioſa ſanguinis deiectio facta eſt. Conuenit verò tabidis, non valdè multum febricitantibus, & in febribus longis & languidis: ſi nullum ex ſupradictis ſignis adfuerit, & præter rationem extenuatis atque tabefactis. Quorum enim rationem reddit Gal. in commentario ad hunc aphoriſmum, ad quem lectorem ablegamus. Ceterùm, nocet quoque lactis aſſiduus vſus dentibus & gingiuis; has enim humidas; dentes verò putrefactioni & eroſioni admodum obnoxios reddit. Sumpto igitur lacte, os vino diluto colluere conueniet: ſatius autem fuerit, ſi mellis aliquid etiam ipſi inieceris: ita namque omne caſeoſum abſtergetur. Prætereà ſcribit Dioſcorides, lac omne reſpuendum neruorum vitio laborantibus.

Quomodo lacte vtendum.

Lacte non vtendum potus vice.

Quibus lac nocuum: quibus itẽ vtile. Aph. 64. li. 5.

DE BVTYRO, CAP. XIIII.

Lac dabit aërij tibi condimenta Butyri,
Nec mirum è gelido marmore flamma micat.
Pectora demulcent ventremque, doloribus apta
Non ſunt plura gulæ, ſed ſatis iſta coquo.

Butyrum vnde dictum.

BVtyrum dicitur, quasi βοὸς τύρος, id est, Bubulus caseus: quandoquidem ex solo lacte bubulo, (vtpote cùm id crassissimum & pinguissimum sit) paratur butyrum. Quod quantum in se pinguedinis habeat, gustu visuque facilè cognoscas. Igitur non sine ratione miratur Galenus Dioscoridem scripsisse ex ouillo & caprino lacte butyrum confici. Ego verò, inquit ille, ex bubulo fieri noui, & proinde nuncupatum esse butyrum existimo. Butyrum calidum est & humidum: ob idq; cōcoquendi, & mediocriter digerendi vires habet. In peripneumonicis affectibus mirum in modum in eclegmate prodest. Per os sumptum pulmoni confert, difficultati anhelitus, & aliis pectoris morbis. Solum manducatum plus maturat, cum melle autem & amygdalis amaris valentius sputum educit, & excellentius emundat. doloribus porrò mitigandis & leniendis nihil est accommodatius. Corpora autem multum alit & obesat.

lib. 10. de simplic. medic. facult.

Butyri qualitas & natura.

Butyrū multum alit.

De caseo, cap. XV.

Si calet antiquus siccescens caseus, humet
Et gelidus nouus est, inter vtrumque placet.
Si nouus impinguat, siccat vetus, attamen ambo,
Et capiti & stomacho pectoribusque nocent.
Mensa ferat medium, vel nullum. Renibus illi
Sunt nocui, & iecori, nil habet iste boni.

Caseus vnde dictus.

CAseus à coeundo, vel (vt inquit Varro) à lacte coacto dicitur. Nihil enim aliud est caseus, quàm lac coagulatum, seroso humore per coagulationem separato. Non fit autem caseus, Aristotelis testimonio, ex vtrinque dentatis, quòd eorum lac non coeat. De caseorum generibus multa Plinius cap. 41. libr. 11. suæ hist. naturalis, quæ omittenda existimauimus, quòd nihil opus sit caseorum antiquorum differentias & nomina tenere, cùm etiam hodie apud nos tot sint caseorum, quot regionū genera & differentiæ: quas omnes percensere immensi, sed etiam superuacui esset laboris. Caseus omnis crassi, vetus etiam mali succi est: tum enim quàm prius acrior euadit, & manifestè calidior redditur, atque ardentior: ob idque ipsum siticulosior, & ad coquendum difficilior, & peioris succi efficitur. Deinceps autem malus quidem, sed prædicto minus. Recens verò succi praui-

Ex vtrinque dentatis non fit caseus.

Caseorum genera.

Casei alimentum quale.

Caseus vetustior.

prauitate etiam carere creditur: nam corpus auget & valdè obesat. Omnium autem caseorum recentium, præstantissimus est oxygalactinus, suauissimus quidem in cibo, stomacho autem minimum noxius, aliisque omnibus concoctu transituque facilior, succum habens non vitiosum, neque vsque adeò crassum, quod vitium caseorum omnium commune est. Meliorem à deteriore his duobus distingues, substantiæ nimirum casei consistentia, secundum quam mollis est vel durus, densus aut laxus, viscosus aut friabilis: & qualitate gustabili. in quibusdam enim acor superat, in aliis acrimonia, pinguedo, dulcedo, aut quidpiam id genus, aut omniũ est æquabilitas. Quantum ad substantiam attinet, mollis duro, rarus & laxus denso & compacto præstat. Glutinosus & friabilis vterque vitiosus est: præstantior est qui inter vtrosque medius existit: quod ad dignotionem ex gustu is præstantissimus censetur, qui nullam vehementem habet qualitatem, sed dulcem habet supra alias parum eminentẽ. Qualitas casei ex ætate deprehenditur: recens frigidus est & humidus, salitus & durus, calidus & siccus. Vetustior caseus capiti nocet, vt acria omnia, stomacho quòd difficulter concoquatur, & tardè permeet, qua ratione etiam ventri interaneisque omnibus negotium exhibet. Renibus etiam nocui sunt. Succum enim gignunt, calculo & arenulis generãdis aptum. Postrema mensa edi debet caseus, vt stomachum sigillet, & pinguium eduliorum fastidium tollat, coctionique prosit. Est verò in exigua quantitate sumendus:

Nam bonus est caseus quem dat auara manus.

Recẽs caseus. Caseus oxygalactinus. Quibus notis bonus caseus à malo dignoscatur. Casei bonitas vt gustu discernatur. Casei qualitas. Casei vetustioris noxæ. Postrema mẽsa caseus sumi debet.

LIBRI TERTII, SECTIO QVARTA DE VOLVCRIBVS ANIMALIBVS.

DE GALLO, CAPO, GALLINA ET PVLLO, CAP. I.

Iam vigil excubitor nos increpat, ocyus ito,
Iam rubet orta dies, segnis inersque liber.
Cedendum est, Libyci gallum timuere leones,
Omen habet certis infera bella notis.

Ilia forte doles, & somnum fessulus oras?
Incocti pingues sint tibi potus aquæ.
Prandia si dederit, Veneris documenta proteruus
Nesciat, hinc sicca est, & malè grata caro.
Sit puer, aut falso Cybeles pro nomine pœnas
Exigat, & posito sit tibi teste Capus.
Sic bene pinguis eris, sic iam dormire licebit,
Et pariet raucæ fercula plura gulæ.
Huic gallina vices, vel si magis humida primas,
Nigra dabit, partus sit licet impatiens.
Hi cerebrũ Venerẽque fouent, minus ignea pullis
Vis data, sub sicco sint mihi cœna cane.
Maxima testiculis positis, tibi gloria galle,
Somno, aluo, Veneri gratus es & Cybeli.

Galli vigiles nocturni.

PLinius libro decimò suæ naturalis historiæ, Gallos gallinaceos vigiles nocturnos nuncupat, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno naturam genuisse asseuerat. Norunt, inquit ille, sidera, & ternas horas cantu interdiu distinguunt. Cum sole eunt cubitum: quartaque castrensi vigilia, ad curas laboremque reuocant. Nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diem enim venientem cantu nunciant. Non possum hoc loco quorundam nugas silentio prætermittere, qui canendi statas horas Gallo ascribere temerè ausi sunt: nec minus ridiculam nocturni eius cantus causam. Aiunt, Gallum Veneris desiderio noctu canere: vocem enim animantia edere tribus de causis, metu, ira aut desiderio, eoque rursus gemino: alimenti nimirum & Veneris. Doctè equidem, sed absurdissima hæc esse, quotidiana indicare poterit experientia. Si enim quis interdiu idem animal obseruarit, cognoscet hoc planè à veritate alienum esse. Gallinæ enim desiderio gallum non canere, manifestum est, à coitu enim canit: deinde præsente gallina canit, quam tunc non init. Canit satur, sine metu quoque canit. Nec verò statis horis cantare consueuit, vt falsò existimant, sed temerè. Adhæc Gallinæ desiderio noctu non canit, qui eas confertas

Cantus nocturni galli causa quæ.

tas secum habet, iacentes immotásque habet. Insiliat, si lubet, licet. Aptius equidem quàm recentiores hi apud Tulliū Democritus causam explicat, cur ante lucem Galli canant. Depulso enim de pectore, & in omne corpus diuiso & modificato cibo cantus edere, quiete satiatos: qui quidem silētio noctis (vt ait Ennius) fauent faucibus, rursus cantu plausuque premunt alas. Macrobius & Gellius de ciuilis diei partibus agentes, eam partem in qua Galli canere solēt, gallicinium vocant. Mirum est leonem audacissimum animal gallum metuere. nec enim huius rei ratio aliqua reddi potest, vt æquè difficile est causam colligere, cur Anthiam belluæ horreant, aut suem elephantes. Apud Romanos Galli summo in honore quondam fuerunt; ex fibrarum enim horum ostentis, eorumque auspicio cuncta gerebantur. obseruatumque sæpius victoriarum quasi Aruspices fuisse. Habēt namque ostenta ex se, & præposteri eorum vespertiniq́ue cātus. Namque totis noctibus canendo, Bæotiis nobilem illam aduersus Lacedæmonios præsagiuere victoriam: ita cōiecta interpretatione, quoniam victa ales illa non caneret. Galli dum adhuc tenelli sunt, apud nos castrari solent, quos tum Capos aut Capones appellamus. Castrantur autem gallinacei, Aristotele teste, parte nouissima suæ alui, quæ, cùm coeunt, concidit. hanc enim si duobus aut tribus ferramentis adusseris, capos facies. Quod si perfectus est qui castratur, crista pallescit, & cucurrire desinit, neque coitum Venereum repetit. Sed si adhuc pullus est, ne inchoari quidem ex iis quidquam potest cùm accrescit. Plinius castrari gallinaceos duobus modis ait, lumbis scilicet adustis candēte ferro, aut imis cruribus. mox vlcere oblito figulina creta, facilius ita pinguescunt, & canere desinunt. Laudes auium omnium vna caro gallinacea in se comprehendit, nihilq́ue reliquæ altiles popinis offerunt, quod vnus capus in se non habeat, siue elixum siue assum velis. Nulla est caro quam nō bonitate æquet aut etiam superet caponum caro. Proxima huic est gallinarum caro: facilè enim concoquitur, succumq́ue laudabilem gignit. Gallinæ hiberno tempore meliores sunt, quia tum minus fœtu exhauriuntur; qua ratione etiam tum pinguiores, tum teneriores existunt. Adhæc nullus cibus in amicorum aut hospitum inexpectato aduentu paratior gallinaceo. Quoniam verò recens mactatarum gallinarum caro, paulò interdum durior est, multa iam inuenta

Cur Galli ante lucem canāt ex Tullio, lib. 2. de diuinat.

Gallicinium. Leo gallum metuit.

Galli summo in honore apud Romanos

Galli cantu Bæotiis victoriam præsagiuere.

Gallorum castrandorum ratio. lib. 9. hist. anim. cap. 50.

Caro gallinacea omnium laudatissima.

Gallinarum caro quale alimentum.

ſunt experimenta quibus tenereſcant: inter ea verò eſt illud Horatij paratiſsimum:

Si veſpertinus ſubito te oppreſſerit hoſpes,
Nec gallina,malum,reſponſet dura palato,
Doctus eris viuam muſto merſare falerno,
Hac teneram faciet.

Gallinarum generoſitas quibus noſcatur. cap.56.li.10.

Gallinarum generoſitas, vt refert Plinius, ſpectatur criſta erecta, interdum & gemina, pennis nigris, ore rubicundo, digitis imparibus, aliquando & ſuper quatuor digitos tranſuer ſo vno. Auicenna quoque gallinam nigram præcipuè commendat; qui eiuſdem carnem augmentum in intellectu facere ſcribit: atque ipſarum gallinarum cerebrum fluxũ ſanguinis narium, ex velaminibus cerebri accidentem, reſtringere & prohibere aſſerit: necnon eas Venerem fouere. Gallinacea enim caro corpus mirum in modum obeſat, ſemenque genitale auget.

Gallorũ annoſorum iuſculum.

Gallinarum ius ſimplex retinendi vim poſsidet, vti gallorum ſubducendi. Coquendi autem ſunt prolixiſsimè cum ſale. Ad multa alia vtile eſt gallorum annoſorum iuſculum.

Pulli.

Pulli qui nondum aut coiere, aut ouum peperere æſtate, dum adhuc de vite omphacium pendet, eſui meliores habentur, & maſculi quidem magis quàm femellæ, annoſiorum autem inſuauior eſt caro.

Aut falſo Cybeles.] Sacerdotes Cybeles deæ Phrygiæ Galli dicebantur; hi ſe caſtrabant, & inter ſacrificandum furioſè ſe gerebant. Vnde Lucanus:

—Crinemque rotantes
Sanguinei populu vlularunt triſtia Galli.

De ovis, cap. II.

Flent poſitoque tremunt capite, & coeuntia mãdi
Nolent, nata modo, ſi ſapis, oua bibe.
Humida ſunt, celeriſque cibi, flammæque tepẽtis,
At durata time, nec diuturna vores.
Mollia pectus alunt, tuſsim ſedantia, raucis
Vocibus apta nimis, gaudia noctis agunt.
Hæc ſtomachũ mulcent, renes, iecur, optima vẽtri,
Veſicam mira ſedulitate fouent.

Sunt

Sũt bona, sed facilè & subito tamẽ oua putrescũt.
Sic nihil ex omni parte iuuare potest.

IN sacris Liberi patris tanta veneratione ouum colitur, vt ex forma tereti, ac penè sphærali, atque vndique versum clausa, & includente intra se vitam, mundi simulachrũ vocetur. Oua autem inter alimenta quæ ab animantibus sumuntur, numeranda esse ait Galenus. Ea autem partes animalium minimè sunt, vt nec arborum fructus, nec grauidarum fœtus, verùm his proportione respondent. Ouorum differentiæ è tribus his peti solent: propria nimirum substantia, tempore & coquendi modo. & pro horum trium ratione meliora vel deteriora sunt. Gallinarum enim & phasianorum præstantissima sunt oua. A tempore: alia longo ante tempore, alia verò breui edita fuerunt. Ex coquendi ratione hæ differentiæ petuntur, quædam enim diutius cocta fuerunt, alia ad mediocrem vsque consistentiam, alia duntaxat excalfacta fuerunt. Secundum quas differentias, alia quidem cocta vocantur, alia tremula, alia sorbilia. Tremula verò ad nutriendum omnium sunt præstantissima. Sorbilia autem minus quidem nutriunt, sed facilius subducuntur, & pharyngis asperitates leniunt, & læuigant. Cocta verò & cõcoctu difficilia, & tardi transitus, crassiusque alimentũ corpori tribuunt. his autem tardius permeant, & crassioris sunt succi, quæ in calidis assantur cineribus. Quæ verò in sartagine sunt inspissata, pessimum habent modis omnibus alimentum, malumque succum generant: fumosæ enim sunt in stomacho corruptæ, secum cibos admixtos corrumpentis. Ceterùm, quæ suffocata appellantur, sunt elixis assisque meliora. Oua recentia veteribus plurimum præstant. recentissima enim optima sunt, vetustissima autem pessima. Quæ verò horum in medio sunt, proportione recessus ab extremis, bonitate aut prauitate inter se differunt. Oua ad æqualitatẽ & mediocrem temperiem tendunt. In ouo autem sunt, albumen scilicet & vitellus. Albumen ad frigiditatem, vitellus ad caliditatem tendit: ambo autem humida sunt, & potissimum albumen. Sorbilia ad asperitates pectoris & gutturis idonea sunt: tussi quoque, pleuritidi & hecticæ conferunt; raucedini vocis ex caliditate, constrictioni anhelitus, & sputo sanguinis, præsertim si vitellus tepidus sorbeatur. Quoniam autem ouorum vis temperata propemodum est, ob

Ouum cur in sacris Liberi colatur.

Oua quod alimentum.

Ouorum differentiæ ex quibus petendæ.

Oua tremula, Sorbilia.

Cocta.

Oua suffocata.

Oua recentia veteribus præstant.

Oui albumen, vitellus.

Sorbilium ouorum vsus.

ob id bonum & copiosum corpori alimentum ipsa exhibere medici omnes asserunt. Immò victum plenum facere scribit Galenus, exponens aphor. 4. libr. 1. Debent autem sumi oua repurgato prius stomacho, quòd facilè in alios humores cõuertantur, & corrumpantur. De ouis autem quæ gallina nobis suggerit, dũtaxat agere instituimus, quòd ea ceteris præstantiora sint & salubriora, & sola ferè edendo sint, semperque apud nos prima mensa apponantur, potissimum si gallinæ ex gallo conceperint. Quæ verò aut ex vento Zephyro, vt quidam volunt, aut ex propria libidine concepta, quæ ὑπηνέμια Græci vocant, ea minus sapiunt. Quibus deesse aliquid ex eo conijcere licet, quod animal ex ipsis gigni non possit. Liquet tamen ea formam omnem habere, quam & alia oua: vt enim perficiantur, solam masculi caliditatem desiderant.

Oua quo tempore sumi debeant.

Oua subuentanea.

DE ANSERE ET ANATE, CAP. III.

Anser anasque tibi sit plena domestica succo,
Si validi es stomachi, rustica dura nimis.
Anseribus magis ardet anas, præstantior alis
Est cibus, hæc prosunt vocibus & Veneri.
Quisquis honoratum iecur ausus mandere primũ,
Hic Messalina doctior arte gulæ.

ANseri apud Romanos summus quondam delatus fuit honos, & is quidem talis tantusque, vt censores magistratum ineuntes nihil prius agerent, quàm vt sacrorum anserum alimenta locarent, & imaginis splendorem. Cuius rei causam elegantissimis, meo quidem iudicio, verbis exponere videtur Plutarchus in eo opusculo, cui, De fortuna Romanorum, titulum fecit: narrans enim eo loco vrbis Romanæ à Gallis Senonibus direptionem & vastationem, ipsiusque capitolij arctissimam obsidionem, hostium in capitolium ascensum persensisse anseres, & clangore vigiles excitasse scribit. Plutarchi verba sunt: Hi viam interpretati se ab hostibus edoctos tentandæ rei consilium capiunt noctu, qua infrequentissima interdiu obseruauerat scandentes, canes etiam excubitores, vigilumque comites nedum vigiles ipsos somno sopitos latuerunt. nec ideò tamẽ Romana fortuna vocis indiga fuit, quæ tantum malum prodere indica-

Anseri summus honor à Romanis delatus, & eius rei causa.

reque

reque posset. Anseres Iunoni sacri ad deæ templum alebantur. Hoc animal cùm natura facilè consternabile est, & ad omnem strepitum sollicitum, tum id temporis premente cibariorum inopia neglectum, tenuis à fame somni erat: proinde illico senserunt hostes iugum superasse, turbidoque admodum clamore prodidere aduolitantes. Armorum deinde splendore consternari, clangore vehementi, & ad omnia collis loca pertingente, Romanos excitauere: qui re vt erat animaduersa, hostes celerrimè deturbatos, in præceps impulerunt. Posteà verò canis in crucem sublatus, anser in eleganti grabatulo, gestariolóve quàm decentissimè sedens visus est. Anseres multis nominibus vtiles hominibus existunt, pluma nimirum, carne, adipe & etiam stercore ipso. Anseris autem duplex genus est, domesticum & siluestre. Anas verò, quæ vt ait Martialis, Anseres Iunoni sacri. Anseres multis nominibus vtiles. Anseris genus duplex. Anas.

—Pectore tantùm

Et ceruice sapit, ab ansere non multum differre videtur. Plura anserum recensentur genera à Plinio. Anserum omnium caro excrementitia est, & concoctu difficillima; nec adeò probum succum gignere crediderim. Anserum alæ ceterorum volatilium alis sunt carne præstantiores. Quemadmodum autem in suibus dum adhuc viuunt, hepar ex caricarum pastu ad voluptatem præparatur, ita in anseribus visuntur ipsorum alimenta lacte imbui: vt non modò eorum hepar sit iucundissimum, sed potenter etiam nutriat, ac optimi sit succi, & deiectu minimè difficile, probeque similiter in ventriculo conficiatur. Non constat quis hoc adinuenerit; estque res adhuc in quæstione, an Scipionis Metelli consularis, an M. Sesij eadem ætate equitis Romani inuentum sit. Auctorem ignorasse etiam videtur Martialis, cùm ait, Anserum caro qualis. Anserum viscera lacte imbuta iucundissima, & eius rei quis auctor fuerit ambigitur.

Aspice quàm tumeat magno iecur ansere maius,
Miratus dices, hoc, rogo, creuit vbi?

Ceterùm, Messalinus Cotta, Messalæ oratoris filius, palmas pedum ex anseribus torrere, atque patinis cum gallinaceorum cristis condire reperit. Anas autem omnibus domesticis volucribus calidior est. Nonnulli ipsius esum, rigentem calefacere, quod si quis natura calidior fuerit, ex anatis esu febrem contrahere asseruerunt. Vocem acutiorem & clariorem reddi ex esu anserum & anatum tradunt. Augere quoque sperma, & coeundi libidinem accendere. Anatis temperamentum

De ibi, ciconia et grve, cap. IIII.

Ibis in antiquos redeatque Ciconia luxus,
Escaque Pygmæis Grus nocitura suis:
Anguibus Aetnæo sint perniciosa vorago
Ventre, graues odi quæ nocuere dapes.
Sat medico latum est menti, si mantica mollis
Intestina lauat, munus ab Ibide habet.

Ibis soli Aegypto peculiaris. Ibis Lycurgo adscripta. Ibis genus duplex. Arist. ca. 27. lib. 9. de hist. anim. Ciconia.

IBis auis est soli Aegypto peculiaris, quam illi inuocant, contra serpentium aduētum. Ea Lycurgo adscribebatur, vt Xenophonti noctua. duplici genere Ibis distinguitur, est enim alia candida, alia nigra: candidæ Ibes apud Pelusium tantum non sunt, cùm in reliqua tota Aegypto habeātur. nigræ contrà apud Pelusium tantùm, in cetera Aegypto nullæ. Ciconiam eandem cum Ibi facit Isidorus. Ciconia, inquit, vel Ibis, auis est fluuialis, quæ seipsam purgat rostro suo. Duo sunt tamen auium distincta genera apud reliquos auctores. Quonam è loco ciconiæ veniant, nondum compertum est. E longinquo venire non dubium, eodem quo grues modo. illæ hiemis, hæ æstatis nunciæ sunt. Grues longa peregrinatione à mari Eoo veniūt, minimè soliuagę. Inter volandum ordine quodam y litteram faciunt, quod Palamedem primùm animaduertisse tradunt: vnde Palamedis aues à Martiale nuncupantur, cùm ait:

Grus. Palamedis auis grus.

Turbabis versus, nec littera tota manebit,
Vnam perdideris si Palamedis auem.

Memorabile de volatu gruum.

Est & illud gruum in volatu non minus celebre. nam vbi ventus exortus est, maiore cum vi, & sæuit cælum, nō (quomodo cùm est tranquillum) frontatim ac lunato globi sinu volant, sed in cuneum momento se traducunt, ac ipso mucrone ventum diuidunt, circum latera frustrà luctantem, sic vt nihil acies turbetur. Eædem ad terram delatæ, quibus est excubandum noctu, crurum alterutri corpore immittuntur, altero adducto prehensum lapillum tenent. Illa igitur in retinendo iugitas obrepere diutius somnum non sinit, sed statim vt remisere, decidens calculus excitat, arguitque negligentem. Itaque non est cur istuc Herculis adeò quisquam miretur:

Quod

Quod alæ subdens arcum hærentem brachio, &
Dextra clauam regens manu quiesceret.

Multa alia notatu & admiratione digna de his auibus narrat Plinius cap. 23. lib. 10. Inducias autem habet gens Pygmæorum abscessu gruum huc ad nos venientium, cũ quibus dimicare solent, à quibus etiam vincuntur. Pygmæi autem populi sunt in extrema parte montium Indiæ habitantes, salubri cælo semperque vernante, qui ternos dodrantes non excedunt: vnde & Pygmæi, quasi πηχαῖοι, hoc est, cubitales dicti. Serpentibus vescuntur aues hæ. De Ibi quidem testimonium Tullij producam, qui lib. 2. de nat. deorũ sic scribit: Ibes maximam vim serpentium conficiunt, quum sint aues excelsæ, rigidis cruribus, corneo proceroque rostro. Auertunt pestem ab Aegypto, quum volucres angues ex vastitate Libyæ, vento Africo inuectas interficiunt atque consumunt. Cùm autem annosior facta fuerit, quidquid cœnosum virosumque halitum spirat, auersari tradunt, vt iis quæ pigmenta redolent, & suauia sunt, frui possit. Ciconia quoque neque tegulis tuta nostris, neque vspiam aut facultatibus aut studio adiuta, officio tamen sese seu mercede cõmunis impensæ in terram collato redimit, cum multæ aliæ aues vnà nobiscum versari solitæ, nihil commodi nobis afferant. nam quæ vitæ hominum aduersa animantia insidiãtur serpentes, buffones, absumit enecatque ciconia. Huic honos serpentium exitio tantus, vt in Thessalia capitale fuerit eam occidisse, eadem legibus pœna, quæ in homicidas. Nec verò alio cibi genere aluntur grues. Tria autem hæc auium genera quouis modo parata & cocta tardè coquũtur: atram bilem seu melancholicum succum gignunt, & excrementi plus quàm alimenti habent. Certerùm, Ibis rostri aduncitate per eam partem se perluit, salsuginem scilicet adhibens, qua reddi ciborum onera maximè salubre est. Purgationis verò hanc rationem qua Ibis vtitur, aduertisse, & imitari posteà Aegyptij dicuntur. Sacerdotes illic nulla aqua lustrantur, quàm vnde hauserit Ibis, quia medicatam, aut alioqui insalubrem hæc auis non attingat. Ex ea ablutione fit verisimile clysteris vsum medicos adinuenisse.

Pygmæis est aduersus grues assiduũ bellum.

Ciconi[illegible], grues, Ibis, serpentibus vescuntur.

In Thessalia capitale ciconiam occidere.

Trium harum auium alimẽtum quale.

Ibis se per aluum purgat, indeque clysteris vsus docuisse fertur.

DE COLVMBIS, CAP. V.

Cellaris mihi sint conuiuia prima Columbæ,
Quum fugit hæc nidos ausa volare suos.

Tunc

Tunc calidi humentisque cibi est, facilisque culinæ
Obtusi nimium prima cruoris erat.
Condiat hanc labrusca tamen, dum Sirius ardet,
Et repleant calidos acria poma vteros.
Parce Venus, tanti non sunt tua numina, nulli
Docta nocere, sacras quod tueantur aues.
Aridior si te delectat forte columba
Liuia, turrita quæ tibi ab arce cadit.
Non sapiat torquata minus mihi cara palumbes,
Si modò fert molles non diuturna dapes.
Ni stomacho ignito sint pulmentaria, neruis
Poplitibusque ægris cum voluere fauent.
Has tere securo, nec sis trepidantior, ore.
Offendisse suam iam didicere Deam.

Columbarum genera. Liuia vnde dicta.

COlumbacei generis plures species tradit Aristoteles cap. 13. lib. 5. de histor. anim. Est enim Liuia dicta à liuore, diuersum certè à columba genus, quippe quæ minor quàm columba sit, & minus patiens mansuescere. liuet etiã plumis, & penè nigricat, & pedibus rubris scabrosisque est, quas ob res nullum id genus cellare alit. Maximo inter hæc genera corpore sunt palumbes: secundum magnitudinis locum viuago obtinet, paulò maior quàm columbus est, minimum ex iis est turtur. Varro distinctius, mea quidem sententia, columbarum genera expressisse videtur. Is lib. 3. cap. 7. duo facit columbarum genera, vnum agreste, quod habetur in turribus ac culminibus villæ, à quo appellatæ columbæ, quæ propter timorem naturalem summa loca in tectis captant. Alterum columbarum genus clementius, quod cibo domestico intra limina pascitur. Columbæ agrestes à colore liuiæ dicuntur, quasi liuidæ: domesticæ verò cellares. Ex columbo agresti, & columba domestica, vel è contrario, nascitur tertium genus columbarum, à nostris miscellæ dicuntur, ob duorum generum commistionem. Sunt prætereà palumbes, siluestres etiam columbæ, in arbotibus sepibúsve nidificantes. Quorum duo sunt genera, vnum torquatum, à torque

Palumbes.

Viuago.

Varro duo tantum fecit columbarum genera.

Miscellæ.

Palumbium genera duo. Torquatum.

torque quo insignitur, quod Aristoteles φάττην vocat: alterum genus quod Græci οἰνάδα, Latinorum nonnulli ab esu Labruscæ viuaginem dicunt. Maiores sunt palumbes, & columbis viuaciores. nam ad vigesimum quintum & ad trigesimum annum earum vita protrahitur; nonnullas quadraginta etiam annos compleuisse exploratum habetur. Colũbæ verò duntaxat ad octauum annum viuunt. Palumbes Galli Ramieros columbos vocant. Pudicitia columbis prima: nec enim coniugij fidem violant: neque coniugium à primo ortu initum deserunt, nisi cælebs aut vidua. Quod prolixius docent Aristoteles & Plinius. Poetæ Deucalioni columbam arca emissam scribunt, quantisper temearet, & eodem continuose reciperet tempestatis; postquam auolasset, serenitatis argumentum dedisse. Columbos autem esse in tutela Veneris ideo fictum putant, quia fœtui semper indulgent. Galenus columbas refert inter eos cibos, qui neque tenues neque crassi sunt, sed veluti in symmetria omnisque excessus mediocritate consistunt. Turricolæ autem columbæ in cibo præstantiores existunt. Mandendæ sunt, inquit idem Galenus lib. de atten. victu, aues eæ, quæ tum in turribus, tum in vineis vitam agunt. Adhæc columbæ turriculæ domesticis sunt meliores: &, vt in summa dicam, omnia quæ exercentur iis quæ sunt otiosa, & quæ cibis siccioribus, iis quæ humidioribus vtuntur, denique quæ purũ ac tenuem aërem inspirant, iis quæ contrarium sunt præferenda. Pipiones autem columbarum qui tentare iam volatum incipiunt, salubriores creduntur. minus pennati verò calidioris sunt & humidioris naturæ, ob idque graues sunt, tardius & difficilius concoquuntur, crassumque succum generant: vnde sæpissimè febres & inflammationes oriuntur. Qui verò iam volare contendunt, ratione motus & laboris multum de illa grauitate deperdunt, estque eorum caro leuior, & concoctu facilior. Parari autem solent æstate elixi ex agresta, ne biliosos sua caliditate lædant, alioqui pituitosis cibus est conuenientissimus. Palumbes hiberno tempore inter elegantiores epulas reponuntur: elixantur enim priùs assatæ cum brassica: ægrius autẽ concoquuntur, adeoque crassiorem succum gignunt & excrementitium. Tradũt nonnulli palumbium carnem, & torquatorum quidem maximè, quòd glandibus vescantur, Veneris libidinem restinguere; quod Martialis suo carmine confirmauit, his verbis:

Viuago. Palumbium & columbarũ ætas. Pudicitia columbis prima. Cap. 7. lib. 9. de hist. anim. cap. 34. li. 10. natur. hist. Deucalioni columba arca emissa. Columbi in tutela Veneris. lib. de euchy. & cacochymia. Columbarum quale alimẽtum. Colũbæ turricolæ omniũ præstãtiores. Pipiones. Columborũ in cibum parandorum ratio. Palumbium caro.

Inguina torquati tardant hebetantque palumbi,
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.

Palumbes si per hiemem diu maceratæ ingerantur, neruorũ vitiis vtiles sunt, earum verò pulli maximè, qui solstitio optimi iudicantur.

DE PHASIANO, CAP. VI.

Phasida iam vehat Argos auẽ, quassata retardat,
Debuerat primo discubuisse thoro.
Illa leuis stomacho est, suaues imitata tepores,
Non volet in mensas rustica turba tuas.
Vix sicca est, volucrũ primi huic debentur honores,
Nec malè, cùm fuerit regius ante puer.

Phasiani vnde dicti.

PHasiani aues sunt à Phasi Colchorum prægrandi fluuio ita dictæ, quòd ibi maximus eorum sit prouentus. Vnde etiam ab Argonautis in Græciam primùm, atque inde ad nos aducti putantur. Quod videtur non ignorasse Martialis,

Argiua primùm sunt transportata carina,
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Phasiani caro

Auerrhoes.

Phasiani caro media est inter perdicem & capum. Galenus Phasianos inter alimenta eą reponit, quæ veluti in symmetria omnisque excessus mediocritate consistunt. Auerrhoes phasianum ceteris auibus quantum ad obsonia anteferendũ censet, nec immeritò quidem. Quid enim decentius regum aut potentum mensis apponi quàm Phasianus possit nõ video. vt nimirum eò tandem redeat, vnde digressus est. Itym enim Therei Thracum regis filium, in phasianum conuersum fabulæ narrant.

Itys in phasianum conuersus.

DE TVRTVRE, CAP. VII.

Turtur honorabis domini conuiuia nostri,
Huic melius sapies posteriore cibo.
Siccescunt, sed calda magis tua fercula prosunt
Sic domino, vt sapiens huic magis esse queat.
O bona auis, casta est, sanctæq; dicanda Mineruæ,
Nos tamen in Venerem luxuriamque rapit.

TVrtur temperamento sicca est, & potissimùm quæ in montibus degit. Ceterùm, non turtur modò, sed nec perdix, nec alia omnia quæ carnem habent moderatè siccã, non est recens mandenda, sed vbi ad vnum diem ad minus suspenderis. ita demum mandas licet. Neque enim durissimas habent carnes, neque prauo succo vitiosas, neque concoctu difficiles. Ipsarum verò durities, si mortuæ vno die asseruentur, facilè vincitur, fiuntque friabiles omnino, atque inculpatæ. In cibum sumptam aluum adstringere, & eam ob rem dysentericis dari scribit Platina. E columbarũ est genere turtur: casta est imprimis & pudica: amisso enim pari suo, alterius copulam non requirit, solitaria incedit, loca solitaria diligit, hominumque consortia fugit, perpetuoque gemit. vnde Virgilius: Turturis temperamentum. Turturis castitas.

Nec gemere aeria cessabit turtur ab vlmo.

Aiunt femellam turturem, amisso marito, arborem viridem non attingere.

De Perdice, cap. VIII.

Obfuit ingenium perdici, effrena libido
Pernecet, aucupium ni modò fallat auis.
Grata tepescenti, stomachum siccata liquore,
Cor tumidumque potest prima fouere iecur.
Si timet excelsos, cùm sit leuis illa, volatus,
Palladia casus seruat ab arce suos.

OVidius fabulatur perdicem, à Perdice Dædali nepote fuisse appellatam, quem, cùm serræ vsum primus reperisset, à patruo inuidia percito, ab excelsa quadam turri se runt præcipitatum: deorum autem misericordia, in auem sui nominis fuisse transformatum. Quæ etiam nunc ruinæ illius memor sublimia vitat, humi nidum construens. Perdicibus mira inest solertia in nidificatione, & in eiusdẽ aucupio admirabilis calliditas. Stipitibus enim & fruticibus quasi vallo contra feras se muniunt. Ouis stragulum molle, puluere contumulant, nec in quo loco peperere incubant, immò ne cui frequentior sit suspecta conuersatio, aliò trãsferunt. Eius autem astutiam quis ignorat? Si quis enim ad nidum eius accedere cœperit, procurrit ad pedes eius fœta, prægrauem aut delumbem sese simulans, subitoque in pro- Perdix vnde dicta. Perdix Dædali nepos in auem sui nominis mutatus. Perdicum solertia & calliditas.

cursu aut breui aliquo volatu cadit fracta aut ala aut pedibus: aut procurrit iterum iamiam prehensurum effugiens, spe frustrans, donec in diuersum abducat à nidis. Pullos quoque fugientes se occultare, ac resupinos iacentes se gleba terræ pedibus apprehensa cooperire docent. Præceps perdicum libido sexum obliuiscitur. Masculus enim in masculum insurgit, intemperantia libidinis mares qua frangunt, & fœminas perdunt, quia ab incubatu non admittantur. Perdicum caro facilè concoquitur, recrementi parum, nutrimenti multum in se habet: sanguinem minimum viscosum generat, & crassi ac tenuis medium. Fient autem friabiles, & inculpatiores, si mortuæ vno die asseruentur.

Perdicum libido.

Perdicum caro.

De pavone, cap. ix.

Cui bene seruatæ nocuit custodia vaccæ,
Ignea cui flamma est, cui caro lenta putret.
Qui licet oblectet, sitque in regalibus ingens
Delicium, pigræ nec leuis ille dapis.
Si tamen ante alios Pauonem Hortensius edit,
Sic auis emeruit, dira salaxque Venus.

PAuonem cibi gratia Romæ primus occidisse orator Hortensius, & augurali adiiciali cœna posuisse dicitur. Saginare primus instituit circa nouissimum Pyraticum bellũ, M. Aufidius Lurco, exque eo quæstu redditus is sestertium sexagena millia habuit. Abstinere à pauonis esu debet, cui vaccinæ carnis diutius in stomacho, eam concoquere non valente, hærentis esus nociuus fuit. Eius enim caro non minus est concoctu difficilis, quàm aut vaccina aut bubula: quod minimè ignorauit Poëta Satyricus, cùm ait:

Et crudum pauonem in balnea portas.

Ideoque mirari subit tantum Romanæ gulæ hanc auem in cibis placuisse, cùm tantopere dura sit & fibrosa, adeoque (si nonnullis credendum est) crassi & modici alimenti existat, succumque melancholicum gignat. Si tamen hi diu macerati fuerint, ad succi bonitatem faciunt, atque præstantiorem quàm antè succum creant. Calida est autem non parum pauonum caro, quæ etiam diutissimè eam ob causam asseruatur. Nonnulli enim annum absque putrefactione asseruari

Pauonem primus occidit Hortensius. Plinius legit Dialiciali. Aufidius Lurco pauonum saginationem adinuenit. Pauonum caro.

Caro pauonũ calida.

seruari posse existimarunt. Ex quo concoctionis eius difficultatem coniicere licet.

De coturnice, cap. X.

Sint autumnales croceo tibi pabula lumbo,
Siue Coturnices siue vocas Qualeas.
Sensibus hæc mala sunt, tenebrisq; replentia fuscis,
Ventri inuisa, malis febribus exitium.
Si tamen vlla tuos circumuolitauerit orbes,
Cœna tibi non sit, sed leue prandiolum.

COturnicem nostri Qualeam, Græci ὄρτυγα vocant. de hac aue multa animaduersione & notatu non indigna refert Plinius cap. 23. lib. 10. naturalis suæ historiæ. Coturnices salubriores censentur autumno, quàm alio quouis anni tempore, quòd tum pinguiores existant. Ex esu carnis coturnicum frequentiore, sæpissimè contingit, quod valdè metuendum est, tetanus & spasmus, non modò quòd elleboro vescantur, sed quia substantia constant tales affectiones corpori communicare potente, idque cæca quadam & abdita vi. Verisimile autem fit, similitudine temperamenti elleboro coturnicem in cibo vti: à quo minimè læduntur. Venas enim circa cor strictas habent, ex quo fit, vt venenata exhalatio ellebori non habeat liberum transitum ad cor: sed in stomacho remanet, & ibi digeritur & subtiliatur. At cetera animalia quæ latiores habent venas, statim necat elleborus. Eius enim vis statim cordi communicatur, ex qua non multò pòst refrigeratur, immò prorsus extinguitur ipsius cordis natiuus vitalisque calor. Refert Galenus in Doride, Bæotia & Thessalia plurimos ex coturnicum esu musculorum distentionibus correptos, ob eam ipsam causam, quòd scilicet elleboro vescantur. Adhæc solæ coturnices præter hominem, teste Plinio, morbum comitialem sentiūt: ob eamque causam antiquorum Romanorum cibis damnatæ fuerunt. Cæsar Augustus cùm audisset Erotem, qui res Aegypti curabat, emisse coturnicem omnes alias pugnãdo superantem, atque inuictam, & assatam comedisse, eum ad se accersiuit, ac iudicio constituto confessum, malo nauis affigi iussit.

Coturnices quando salubriores.

Coturnicum caro insalubris est.

Cur elleborus coturnicibus minus nocuus sit.

Coturnices comitialem morbum sentiunt.

Erotes malo nauis cur affixus.

DE MERVLO, STVRNO ET TVRDO, CAP. XI.

Si mihi pinguis erit Merulus, tua gloria cedat
Turde, salutiferos vult mea mensa cibos.
Igneus ardor inest maior tibi, sistitis ambo
Tu grauior redolens ni tibi Baccha fauet.
Si tamen aucupiis, laqueo vel rete latenti
Falleris: inde mihi non minus ipse places.
Sturne peregrinas mendices aridus vuas,
Socratici cœna nolumus esse tua.

Merularum duo genera. cap.19.lib.9. de hist. anim. Turdorum genus triplex. cap.20.eiusdem libri.

MErularum duo genera facit Philosophus: alterum nigrum & vulgare, alterum candidum, quod circa Cyllenam Arcadiæ, nec alibi vsquam nascitur. Turdorum quoque ab eodem tria commemorantur genera: vnum picę magnitudine, quod quia solo visco ac resina vescatur, Visci-norum vocant: alterum merulæ magnitudine, quod Pilare nuncupatur: tertium & postremum quod Iliacum nonnulli appellant. Sturnus autem merulæ vulgari ferè similis est; niger enim est, verùm albis maculis distinctus est. Aues ex miliaricæ à Varrone nuncupantur, à Milio, quo maximè ad saginam farciuntur. Loca maritima hieme quærunt, & iuniperis ac myrtis abundantia. Etiam apud nos frequentant, & sepes, ibique pabulum quærunt. Turdo primas tribuit Martialis, in eo Poëtæ nostro cõtrarius. Sic verò Martialis:

Sturnus.

Aues miliaricæ.

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Meruli, turdi, sturni, quale alimẽtum.

Et certè turdi potissimum quidem hieme probum & copiosum corpori alimentum suggerunt, & minimum excrementitium. Ab his autem abstinendum est qui lapsanum, quod nostri Napellum vocant, esitant. At merularum caro tardè concoquitur, parum alit, adeoque succum melancholicum gignit. Merulas & turdos Galenus reponit inter eos cibos, qui in symmetria & omnis excessus mediocritate consistũt. Sturni autem ab obsoniis planè reiiciendi sunt, quod cicuta vescantur. Galenus tamen esum sturnorum concedit iis qui gracili sunt habitu, extenuato & sicco. Carnes enim eorum proximas collocat ab attagenarum carnibus.

lib.6.sanit. tuend.

De alavda, cap. XII.

Ignea si galeata mihi est præpinguis Alauda,
Sit breuior, ne sit cœna molesta mihi :
Durior aluus erit, sed ius dabit ilia soluens,
Sic malè quod nocuit, sponte iuuare solet.

Alauda auis est pusilla, quæ priùs Galerita vocabatur. habet enim in capite velut galerum ex pilis spontè enatum: cuius occasione efficta est quæ apud Aristophanem Comicum legitur fabula. Is enim in hunc modum inquit: Imperitus es & curiosus, & nec Aesopum quidem didicisti, qui ait, Galeritam primam volucrum fuisse, etiam ante terram. Inde patre morbo defuncto, cùm humus nondum esset enata, illum quidem dies quinque iacuisse: at hanc præ inopia melioris consilij, in capite tandem patrem suum defodisse. hoc quoque aiunt (obscurè licet) designasse tamen Theocritum: *Alauda cur primum galerita dicta.*

οὐδ' ἐπιτυμβοίδιαι κορυδαλλίδες ἠλαίνοντι.

nempe indicare illum eas, quæ in capite tymbon, hoc est sepulchrum gerant. Est autem auis hæc nulli non nota. Philosophus in sua animalium historia, huius duo constituit genera: alterum terrenum cristatum, Galerita à crista appellatum: alterum gregale, nec singulare, more alterius, verùm colore simile, quanquam magnitudine minus, & galero carẽs, cibo verò idoneum. hoc vbique frequentissimum, & proinde hiberno tempore fit earum captura largissima, quo tempore præstantiores, quia pinguiores existunt. facilè concoquuntur, & satis probum succum gignunt. Galen. lib. 11. de simpl. medicam. facult. ait galeritam in iure elixam colicis mirum in modum prodesse, sæpius se expertum eius summam aduersus eum morbum vtilitatem & vsum. Verùm perpetuò eam simul cum iure edere necesse est. *Alaudorum genera duo.* *Alaudæ qualem succum gignant.* *Galerita in iure elixa colicis summum remedium.*

De ficedvla, cap. XIII.

Si sapit & calida arescit Ficedula, quæris
Cur piper? vt melius si bibis inde coquas.

Ficedula auis est quæ ficuum esu pinguescit: (vnde Galli *Becque-figue* vocant) vel Martialis testimonio, his verbis: *Ficedula vnde dicta.*

 Quum

Quum me ficus alat, quum pascar dulcibus vuis,
Cur potius nomen, non dedit vua mihi?

Iuuenalis quoque eius auis meminit, cùm ait:

—Et eodem iure natantes,
Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

Hoc nomen nonnisi autumno habent, posteà enim Melancoryphi vocantur. Summo fuisse in pretio & deliciis apud Romanos ficedulas ex Gellio constat. Scribit enim tantam fuisse veterum in cœnis instruendis luxuriam, vt negarent auem vllam præter ficedulam totam comesse oportere. Ficedulæ autem autumno, quo tempore pinguiores sunt ex esu vuarum & ficuum, boni alimenti existunt, facileque concoquuntur.

Ficedula in deliciis apud Romanos fuit

De passere, cap. XIIII.

Ardet & est molli passer durißimus aluo,
Si vis esse salax, hic cerebella dabit.
Cur neget? huic subitam sunt adducentia mortem.
I, Venus hinc, solas ni modo perdis aues.

Passer ob eius immensam caliditatem (quam arguit salacitas illius maior quàm vllius alterius auis) malè alit, difficulter concoquitur, & libidinem excitare creditur: ob idque à patinis nostris abesse debet, vt scribit Platina. Contrà Galenus passerculos omnes ex eo ciborum genere esse ait, quod nulla omnino ex parte damnandum, quodque in omnis excessus moderatione consistit. Ceterùm, passer cuiuis notus est. Est apud Aëtium passer aliquis troglodytes appellatus, quem ait miram habere à natura vim cõtra renum & vesicæ calculum.

Controuersa Platinæ & Galeni de alimẽto passerum sententia.

Passer troglodytes.

De hirundine, cap. XV.

Defleat infandos ingrati coniugis ausus,
Igniti & nocui cùm sit Hirundo cibi.
Cur noceas? dulci modulamine sedat habendam,
Thraicios fugiens intrat amica lares.

Refert Seruius Tereum regem Thracum, Mattis ex Bistonide nympha filium fuisse: qui cùm Pandionis regis Athenarum filiam Prognem nomine vxorem duxisset, post aliquantum tempus eius sororem Philomelam per speciem

Terei in hirũdinẽ conuersi historia.

ciem visendæ sororis abductam vitiauit, vitiatæque linguã præcidit. Quod facinus cùm illa indicare alioqui non posset, rem in veste suo cruore depictam sorori misit. Qua re cognita Progne, vt sororem vlcisceretur, Itym filium interemit, & patri epulandum apposuit. Prolato deinde capite, cùm pater se vxoris dolo filium in sua viscera condidisse agnosceret, & ad vltionem properaret, omnes in aues mutati sunt: Tereus in vpupam, Itys in phasianum, Progne in hirundinem, Philomela in auem sui nominis, quæ etiam Luscinia nuncupatur. Fabulam prolixius describit Ouidius in Metamorphosi. lege etiam Plutarchum in opusculo de nota Pythagorica, qua hospitem hirundinem recipi nolebant, quod ex octauo Symposiacorum volumine desumptum est. Tradunt propter id Terei regis facinus, hirundines atria non introire. Thebarum quoque tecta subire negãtur, quòd vrbs illa sæpius capta sit. Auem hanc non fuisse esui apud antiquos crediderim: eius enim vires in cibis à nullo antiquiorum medicorum descriptas inuenio. Dioscorides ait hirundines vt ficedulas in cibo aciei visus medicamentum præbere. habet alios quoque non paucos in medicinis vsus. Atria cur non intrant hirũdines.

DE RELIQVIS MINVTIS AVICVLIS, CAP. XVI.

Nunc video innumeras, & circum rete volutas,
Crediderim exustas esse volucriculas.
Has coquus arte parat celebri condire, vocatus
Sum coque, jam venio, tardior olla tua est.

Auiculas omnes persequi infinitum esset, quam ob causam reliquas omnes hoc vno capite complectemur. Ergo auiculæ montanæ, id est, quæ tum nascuntur, tũ degũt in montibus, multò sunt præstantiores iis quæ in locis planis oriuntur, ex iisque victum capiũt. Quæ enim in stagnis, locis aquosis & campestribus degunt, humidiores sunt & excrementosæ: quæ verò in montibus viuunt, omnes temperatura sunt ficciore & calidiore, earumque caro minimũ est pituitosa & lenta. Porrò earum bona pars potius cantus & voluptatis gratia, quàm mensarum causa alitur. Ex his enim plures dociles Latino Gallicoque sermone spectantur. Et hæc quidem de terrestribus animalibus dicta sufficiant.

HVGONIS FRIDÆVALLIS SAMPAVLINI, DE SANITATE TVENDA,

LIBER IIII.

PRÆFATIO.

INITIO *libri superioris animalium, duas fecimus differẽtias & genera, vnum terrestre, alterum verò aquaticum. De terrestribus animalibus, & de alimento quod ab eis ſumitur, abundè ſatis diximus: ſupereſt vt de aquatilibus ſeu piſcibus agamus. Aquatilium animalium duplex eſt differentia: alia enim in fluido degunt, victumq́ ex humore petunt, quem etiam humorem per vices recipiunt & reddunt, nec niſi in humore viuere poſſunt: alia degunt quidem in fluido, victumq́ inde emoliuntur, ſed aërem non humorẽ recipiunt, & foris parere ſolent. huius generis cõplura ſunt, partim greſſilia, vt latrix, latex, crocodilus; partim volucres, vt mergi, vrinatrices, & quæ nullis pedibus innituntur* ἄποδες *dictæ. Ex his nonnulla cùm victum in humore exerceant, nec foris viuere queant, nihil vel aëris vel humoris recipiunt, vt vrtica, oſtrea. Rurſus aquatilis generis alia marina, alia fluuialia, alia lacuſtria, alia paluſtria. Eorum rurſus pro tegmentorum diuerſitate, plura ſunt genera: alia enim corio & pilis teguntur, vt vituli, hippopotami: alia corio tantùm, vt delphini; cortice, vt teſtudines: ſilicum duritia, vt oſtreæ & conchæ: cruſtis, vt locuſtæ: cruſtis & ſpinis, vt echini: ſquãmis, vt piſcis: alia aſpera cute, vt ſquatina: alia molli, vt murenæ: alia nulla, vt polypus. Ex aliis multis ſumi ſolent*

Aquatilium animalium differentia duplex. Ariſtot. cap. 1 lib. 1. de hiſt. anim.

Aquatilium aliæ differentiæ.

piſcium

piscium differentia, vt à generatione, victu, aliisq; similibus; de quibus lege Aristotelem & Plinium. Piscis autem nomine hoc loco intelligimus animal omne quod in aquis degit, aquatile dictum: non autem illius speciem tantum cum Plinio, qui piscem aquatilis speciem (vt modò diximus) facit, à ceteris squammis distinctum. Ceterùm, apud Græcos maximo in pretio pisces fuisse certum est, qui si quando opiparum conuiuium & lautas epulas erant instructuri, eas ex piscibus parasse scriptis posteritati relictũ inuenitur. Immò eorum luxum immoderatum, & summam prodigalitatem ventris gulæq; duntaxat causa mirari subit. nam mulum vnum septem millibus ab Asinio Celere viro consulari emptum refert Macrobius: quod nõ subticuit Poëta Satyricus, cùm ait: Pisces summo in pretio apud Græcos.

- Mulum sex millibus emit,
Aequantem sanè paribus sextertia libris.

Eam ob causam Cato senior, quum apud populum in immodicos sumptus & luxum inueheretur: Quàm difficile, inquit, est verba facere ventri aures non habenti? Se mirari verò dictitabat, quomodo salua ciuitas esse posset, in qua piscis pluris quàm bos vendatur. Cato senior.

LIBRI QVARTI, SECTIO PRIMA DE PISCIBVS IN GENERE.

DE PISCIBVS NON SALITIS, CAP. I.

Fert aqueum & fluidũ piscis tibi quisque cruorẽ,
Si sit gratus aquis fluctuet æquoreis.
Littora, saxosas vel si natet impiger vndas,
Huic modo viscosa est ni pituita cape.
Stans nocet, assatus pascit bene, tardior exit
Si minus elixo pasceris, inde cacas.
Frigidulos angit neruos, languentibus ægris,
Et stomacho humenti, verticibusque grauis.
Gaudet ventre, gula & ceruice, putrescere norũt
Hæc cito, languenti est vnica cauda cibus.
Excipit hunc feruens dum retibus olla, vorato
Protinus, hinc nosces quod Venus orta mari.
Mensa lupum, rhombumque voles, timidusque rogatur
Mugil, adhuc mediis nat mea cymba vadis.

VBi de piscium alimento in genere dixerimus, de singulis posteà per capita, Plinij distinctionem à tegmẽtorum diuersitate sumptã sequentes agemus. Piscatio equidem minus optanda mihi esse videtur: tum quòd pisces malè nutriũt, & corpora inualida atq; ægrota præstãt: quod Homeri etiã testimonio probari potest, qui bellatores suos, qui iuxta littus maris castra habebant, nusquã piscem gustare fecit. Alimentum enim quod ex piscibus prouenit, sanguinem gignit consistentia tenuiorem, quàm quod ex pedestribus animalibus sumitur, adeò vt non affluenter nutriat, & celerius discutiatur. Optima est autẽ eorum piscium caro, qui in puro mari viuunt, maximè cùm ventorum procellis agitatur. Qui verò in aquis limosis & sordidis degunt, excrementitia est admodũ & muccosa eorum caro. In mari autẽ quieto nul-

Piscatio minus opt: nda cur.

Alimentũ ex piscibus quale.

Qui pisces præstãtiores, & contrà qui vitiosi sint, & minus laudabiles.

nullisque agitato fluctibus, tanto piscium caro deterior redditur, quãto minus exercitatur. In stagnis autem maritimis, quæ λιμνοθάλαττας appellant, adhuc est deterior: & hac adhuc magis in stagnis, quæ si parua fuerint, nec magnos fluuios recipiant, neque fontes habeãt, nec largum effluuium, multo profecto est deterior. Pessima sunt stagna, ex quibus nihil omnino aquæ effluit, sed stabilis est & planè immota. Qui in paludibus lacubusque, atque id genus locis degunt, pessimam carnem habent. Eorum autem qui in fluuiis gignuntur, præstantiores sunt qui in iis gignuntur, in quibus aqua rapidè fluit, & copiosa est: qui verò in stagnantibus, non boni Hæc Galenus de præstantia piscium pro locorum vndarúmve in quibus degunt natura habet lib. 3. de alimẽt. facult. Piscium autem omnium natura ferè frigida est & humida, pro ratione scilicet natura, & consuetudine elementi ex quo ortum habent, & victum quærunt: & ob eorum frigiditatem & viscositatem difficilius concoquuntur. Sanguinem quoque frigidum & phlegmaticum generant, vnde multi iidemque graues oriuntur morbi. Neruos enim molliunt, & ad paralysim præparant: stomacho frigidiori & humidiori nocent, vt contra bilioso & calidiori valdè conferunt. In summa, frigidos affectus creant, potissimum si qui his vescitur, frigidiorem corporis totius aut partium eiusdem nutritioni dicatarum temperiem nactus sit: humiditatis autem qua abundant ratione, fit vt citò putrescant; quã ob causam recentes comedendi sunt. Ex piscium porrò genere pingues & soluti saporis, tum cibo, tum ad concoquẽdum sunt deteriores: præterea stomacho noxij sunt, & vitiosi succi, quapropter cum calidis parandi & edendi sunt. Piscium autem coctura varia est, diuersaque pro piscium diuersitate præparatio: ea autem abundè exposita est à Galeno in lib. de alim. & à Platina toto libro decimo de honesta voluptate. In vniuersum autem scire hoc loco sufficiet, assatum piscem omnem copiosius præbere alimentum, sed tardioris esse descensus. contrarium in elixatis contingit. Qui verò elixari debent, præstat eos in aquam feruentem prius immitti, melior enim fiet ea ratione eorum decoctio. Ceterùm, partibus piscium maxima inest diuersitas. Eorum enim cauda, cùm motu exerceatur, bonum alimentũ affert, & gustu delicatior apparet: secundum locum habent partes quæ ad ventrem pertinent, cùm pingues fuerint.

Piscium natura.

Pisces pingues.

Piscium coctura ratio à quibus tradita & exposita

Cauda piscium.

De

De piscibvs salsis, cap. II.

Ignea vis salso est, qui non benè concoquit, illum
Non edat. & Bacchus nique sit apta Ceres.

Qui pisces ad saliendum apti, & qui cōtra.

PIsces mollis carnis & excrementis vacui, vt qui saxatiles vocantur, ad saliendum prorsus inepti sunt. Aselli quoque qui in puro mari degunt, & muli, (licet eorum dura sit caro, quia tamen eadem ab excrementis pura est) minus ad saliendum accommodi sunt. At Gracchuli, pelamides, sardæ, sardenæ, ad saliendum sunt appositi. Adhæc ex belluis marinis cetacea salita euadunt meliora. habent enim & ipsa carnem excrementitiam. Concoctu verò difficiles existunt pisces omnes saliti, & insuaues: alij tamen aliis minus. Sale enim condita in vniuersum omnia duriora euadere, & veluti coriacea & cutacea certum est: ob idque concoctu difficiliora existere non est dubium.

Ex salitis piscibus quale alimentum.

Quo tempore pisces in cibum præstantiores reddantur, ex Aristotele, CAP. III.

cap. vlt. li. 8. de hist. anim. Qui pisces vterum gerentes præstent.

DIscrimen animalium, vt prosperè contráve exigant, vel vtero pleno existere nouimus. Testa enim intecta, vt pectines, omneque ostrearum siue concharum genus, atque etiam crusta intecta, tunc optima sunt, cùm grauida, vt aperte in locustis, & reliquis huiuscemodi patet. Sed quanquam testa intecta grauida dicimus, tamen nullum eorum vel coire vel parere videmus: crusta intecta nimitum & coire & parere percipiuntur. Mollia etiam præstant cùm grauida sunt, vt lolligines, sepiæ, polypi. Pisces cùm impleri incipiunt coitu, omnes boni ferè sunt: sed procedente vteri tempore alij præstant, alij non. Alec siue mæna vtero grauis melior est, forma rotundior fœminæ, porrectior mari & latior. Euenit, vt cùm fœtu impleri fœmina incipit, maris color in nigriorem, plurisque varietatis mutetur, & caro deterrima cibo efficiatur: vocantur per id tempus hirci. Mutantur etiā meruli, turdi, & squillæ. Vere enim nigtescunt, quo exacto, albedinem suam recipiunt. Fuca etiam colorem mutat: cùm enim ceteris temporibus candida sit, verno tempore varia redditur. Solam hanc ex marinis piscibus nidum sibi construere, atque in stragula parere aiunt. Alec etiam mutatur & smaris ceu certus, vt ex albedine rursus æstate ad nigredinem redeant, quod maximè suis pinnis & branchiis declarant. Cornulus etiam cùm vtero fert, optimus est, perinde

Pisces cùm impleri coitu incipiunt, ferè omnes boni sunt. Mutatio in piscibus.

Sola fuca sibi nidum construit.

de vt Alec. Mugil verò & lupus,& reliqui ferè omnes squāma intecti deteriores sunt cùm ferunt. Similes sibi ferentes & non ferentes pauci sunt,vt glaucus. Vitiantur etiam senectute pisces: & quidem thynni,vel ad rem salsamentariam senes improbi sunt: multum enim carnis absumitur. Quod idem vel in ceteris piscibus euenit. Manifesta est eorum senectus ex duritie & magnitudine squammarum.Iam captus est thunnus senex, cuius pondus erat ad talenta quindecim, & caudæ interuallum ad cubita quinque & palmum. Fluuiales & lacustres pisces optimi sunt, post partum & seminis genitalis emissionem. Sed nonnulli etiam cùm ferunt, commendantur,vt saperdis: alij damnantur,vt silurus.Cùm ceteri omnes mares suis feminis sint præstantiores: silurus fœmina præstat suo mari: & in genere anguillarum quoque meliores sunt, quas fœminas vocant, quæ nomen fœminæ temerè accepere. Non sunt enim fœminæ,sed quia aspectu à ceteris discrepant,fœminæ appellantur. De piscibus in genere diximus: de singulis iam ordine dicamus.

Qui pisces deteriores sint cùm ferunt.
Thunni senes ad saliendum inepti.
Thunnus immensæ magnitudinis.
Pisces mares fœminis præstantiores.
Silurus fœmina mari suo præstat.
Anguillæ fœminæ.

LIBRI QVARTI, SECTIO SECVNDA, DE PISCIBVS SAXATILIBVS.

SAxatiles pisces dicuntur,quòd in saxis stabulentur. De his autem primum dicere instituimus,quòd bonitate ceteros vincant. Inter hos verò scarus excellere suauitate creditur.

Saxatiles pisces qui.

De scaro, cap. I.

ΣΚάρος mari Carpathio familiaris est. Solus ruminare dicitur,& herbis,non aliis piscibus vesci. Octauius seu (vt alij volunt) Optatus Elipertius, classis sub Claudio præfectus, cùm sciret scarum Italicis littoribus adeò ignotum,vt nec Latinum nomen eius piscis habeamus, incredibilem scarorum multitudinem in variis nauibus huc aduectam,inter Hostiam & Campaniæ littus in mare sparsit,miroque ac nouo exemplo pisces in mari tanquam in terra fruges aliquas seminauit. Idemque tanquam summa in hoc vtilitatis publicæ verteretur,quinquennio dedit operam,vt si quis inter alios pisces scarum fortè cepisset,incolumem cōfestim & inuiolatum mari redderet. In scaro perspicacia magna est, cui coniunctum societatis studium videre est. vbi hamum glutiuit scarus, ceteri qui tum adsunt properant, & funicu-

Scarus.
Octauius seu Optatus Elipertius.
Scari perspicacia.

Inguina torquati tardant hebetantque palumbi,
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.

Palumbes si per hiemem diu maceratæ ingerantur, neruorũ vitiis vtiles sunt, earum verò pulli maximè, qui solstitio optimi iudicantur.

DE PHASIANO, CAP. VI.

Phasida iam vehat Argos auẽ, quassata retardat,
Debuerat primo discubuisse thoro.
Illa leuis stomacho est, suaues imitata tepores,
Non volet in mensas rustica turba tuas.
Vix sicca est, volucrũ primi huic debentur honores,
Nec malè, cùm fuerit regius ante puer.

Phasiani vnde dicti.

PHasiani aues sunt à Phasi Colchorum prægrandi fluuio ita dictæ, quòd ibi maximus eorum sit prouentus. Vnde etiam ab Argonautis in Græciam primùm, atque inde ad nos aducti putantur. Quod videtur non ignorasse Martialis,

Argiua primùm sunt transportata carina,
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Phasiani caro

Auerrhoes.

Phasiani caro media est inter perdicem & capum. Galenus Phasianos inter alimenta ea reponit, quæ veluti in symmetria omnisque excessus mediocritate consistunt. Auerrhoes phasianum ceteris auibus quantum ad obsonia anteferendũ censet, nec immeritò quidem. Quid enim decentius regum aut potentum mensis apponi quàm Phasianus possit nõ video. vt nimirum eò tandem redeat, vnde digressus est. Itym enim Therei Thracum regis filium, in phasianum conuersum fabulæ narrant.

Itys in phasianum conuersus.

DE TVRTVRE, CAP. VII.

Turtur honorabis domini conuiuia nostri,
Huic melius sapies posteriore cibo.
Siccescunt, sed calda magis tua fercula prosunt
Sic domino, vt sapiens huic magis esse queat.
O bona auis, casta est, sanctæq; dicanda Mineruæ,
Nos tamen in Venerem luxuriamque rapit.

Turtur

TVrtur temperamento ſicca eſt, & potiſſimùm quæ in montibus degit. Ceterùm, non turtur modò, ſed nec perdix, nec alia omnia quæ carnem habent moderatè ſiccã, non eſt recens mandenda, ſed vbi ad vnum diem ad minus ſuſpenderis. ita demum mandas licet. Neque enim duriſſimas habent carnes, neque prauo ſucco vitioſas, neque concoctu difficiles. Ipſarum verò durities, ſi mortuæ vno die aſſeruentur, facilè vincitur, fiuntque friabiles omnino, atque inculpatæ. In cibum ſumptam aluum adſtringere, & eam ob rem dyſentericis dari ſcribit Platina. E columbarũ eſt genere turtur: caſta eſt imprimis & pudica: amiſſo enim pari ſuo, alterius copulam non requirit, ſolitaria incedit, loca ſolitaria diligit, hominumque conſortia fugit, perpetuoque gemit. vnde Virgilius:

Turturis temperamentum

Turturis caſtitas.

Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab vlmo.

Aiunt femellam turturem, amiſſo marito, arborem viridem non attingere.

DE PERDICE, CAP. VIII.

Obfuit ingenium perdici, effrena libido
Pernecet, aucupium ni modò fallat auis.
Grata tepeſcenti, ſtomachum ſiccata liquore,
Cor tumidumque poteſt prima fouere iecur.
Si timet excelſos, cùm ſit leuis illa, volatus,
Palladia caſus ſeruat ab arce ſuos.

OVidius fabulatur perdicem, à Perdice Dædali nepote fuiſſe appellatam, quem, cùm ſerræ vſum primus reperiſſet, à patruo inuidia percito, ab excelſa quadam turri ſe runt præcipitatum: deorum autem miſericordia in auem ſui nominis fuiſſe transformatum. Quæ etiam nunc ruinæ illius memor ſublimia vitat, humi nidum conſtruens. Perdicibus mira ineſt ſolertia in nidificatione, & in eiuſdẽ aucupio admirabilis calliditas. Stipitibus enim & fruticibus quaſi vallo contra feras ſe muniunt. Ouis ſtragulum molle, puluere contumulant, nec in quo loco peperere incubant, immò ne cui frequentior ſit ſuſpecta conuerſatio, aliò trãſferunt. Eius autem aſtutiam quis ignorat? Si quis enim ad nidum eius accedere cœperit, procurrit ad pedes eius fœta, prægrauem aut delumbem ſeſe ſimulans, ſubitoque in pro-

Perdix vnde dicta.

Perdix Dædali nepos in auem ſui nominis mutatus.

Perdicum ſolertia & calliditas.

cursu aut breui aliquo volatu cadit fracta aut ala aut pedibus: aut procurrit iterum iamiam prehensurum effugiens, spe frustrans, donec in diuersum abducat à nidis. Pullos quoque fugientes se occultare, ac resupinos iacentes se gleba terræ pedibus apprehensa cooperire docent. Præceps perdicum libido sexum obliuiscitur. Masculus enim in masculum insurgit, intemperantia libidinis mares qua frangunt, & fœminas perdunt; quia ab incubatu non admittantur. Perdicum caro facilè concoquitur, recrementi parum, nutrimenti multum in se habet: sanguinem minimum viscosum generat, & crassi ac tenuis medium. Fient autem friabiles, & inculpatiores, si mortuæ vno die asseruentur.

Perdicum libido.

Perdicum caro.

De pavone, cap. IX.

Cui bene seruatæ nocuit custodia vaccæ,
Ignea cui flamma est, cui caro lenta putret.
Qui licet oblectet, sitque in regalibus ingens
Delicium, pigræ nec leuis ille dapis.
Si tamen ante alios Pauonem Hortensius edit,
Sic auis emeruit, dira salaxque Venus.

Pauonem primus occidit Hortensius. Plinius legit Dialiciali. Aufidius Lurco pauonum saginationem adinuenit. Pauonum caro.

PAuonē cibi gratia Romæ primùs occidisse orator Hortensius, & augurali adiiciali cœna posuisse dicitur. Saginare primus instituit circa nouissimum Pyraticum bellū, M. Aufidius Lurco, exque eo quæstu redditus is sestertium sexagēna millia habuit. Abstinere à pauonis esu debet, cui vaccinæ carnis diutius in stomacho, eam concoquere non valente, hærentis esus nociuus fuit. Eius enim caro non minus est concoctu difficilis, quàm aut vaccina aut bubula: quod minimè ignorauit Poëta Satyricus, cùm ait:

Et crudum pauonem in balnea portas.

Ideoque mirari subit tantum Romanæ gulæ hanc auem in cibis placuisse, cùm tantopere dura sit & fibrosa, adeoque (si nonnullis credendum est) crassi & modici alimenti existat, succumque melancholicum gignat. Si tamen hi diu macerati fuerint, ad succi bonitatem faciunt, atque præstantiorem quàm antè succum creant. Calida est autem non parum pauonum caro, quæ etiam diutissimè eam ob causam asseruatur. Nonnulli enim annum absque putrefactione asseruari

Caro pauonū calida.

ſeruari poſſe exiſtimarunt. Ex quo concoctionis eius difficultatem coniicere licet.

De coturnice, cap. x.

Sint autumnales croceo tibi pabula lumbo,
Siue Coturnices ſiue vocas Qualeas.
Senſibus hæc mala ſunt, tenebriſq; replentia fuſcis,
Ventri inuiſa, malis febribus exitium.
Si tamen vlla tuos circumuolitauerit orbes,
Cœna tibi non ſit, ſed leue prandiolum.

COturnicem noſtri Qualeam, Græci ὄρτυγα vocant. de hac aue multa animaduerſione & notatu non indigna refert Plinius cap. 23. lib. 10. naturalis ſuæ hiſtoriæ. Coturnices ſalubriores cenſentur autumno, quàm alio quouis anni tempore, quòd tum pinguiores exiſtant. Ex eſu carnis coturnicum frequentiore, ſæpiſſimè contingit, quod valdè metuendum eſt, tetanus & ſpaſmus, non modò quòd elleboro veſcantur, ſed quia ſubſtantia conſtant tales affectiones corpori communicare potente, idque cæca quadam & abdita vi. Veriſimile autem fit, ſimilitudine temperamenti elleboro coturnicem in cibo vti: à quo minimè læduntur. Venas enim circa cor ſtrictas habent, ex quo fit, vt venenata exhalatio ellebori non habeat liberum tranſitum ad cor: ſed in ſtomacho remanet, & ibi digeritur & ſubtiliatur. At cetera animalia quæ latiores habent venas, ſtatim necat elleborus. Eius enim vis ſtatim cordi communicatur, ex qua non multò pòſt refrigeratur, immò prorſus extinguitur ipſius cordis natiuus vitaliſque calor. Refert Galenus in Doride, Bæotia & Theſſalia plurimos ex coturnicum eſu muſculorum diſtentionibus correptos, ob eam ipſam cauſam, quòd ſcilicet elleboro veſcantur. Adhæc ſolæ coturnices præter hominem, teſte Plinio, morbum comitialem ſentiũt: ob eamque cauſam antiquorum Romanorum cibis damnatæ fuerunt. Cæſar Auguſtus cùm audiſſet Erotem, qui res Aegypti curabat, emiſſe coturnicem omnes alias pugnãdo ſuperantem, atque inuictam, & aſſatam comediſſe, cum ad ſe accerſiuit, ac iudicio conſtituto confeſſum, malo nauis affigi iuſſit.

Coturnices quando ſalubriores.

Coturnicum caro inſalubris eſt.

Cur elleborus coturnicibus minus nocuus ſit.

Coturnices comitialem morbum ſentiunt.

Erotes malo nauis cur affixus.

DE MERVLO, STVRNO ET TVRDO, CAP. XI.

Si mihi pinguis erit Merulus, tua gloria cedat
Turde, salutiferos vult mea mensa cibos.
Igneus ardor inest maior tibi, sistitis ambo
Tu grauior redolens ni tibi Baccha fauet.
Si tamen aucupiis, laqueo vel rete latenti
Falleris: inde mihi non minus ipse places.
Sturne peregrinas mendices aridus vuas,
Socratici cœna nolumus esse tua.

Merularum duo genera. cap. 19. lib. 9. de hist. anim. Turdorum genus triplex. cap. 20. eiusdem libri. Sturnus. Aues miliariçæ.

MErularum duo genera facit Philosophus: alterum nigrum & vulgare, alterum candidum, quod circa Cyllenam Arcadiæ, nec alibi vsquam nascitur. Turdorum quoque ab eodem tria commemorantur genera: vnum picę magnitudine, quod quia solo visco ac resina vescatur, Viscinorum vocant: alterum merulæ magnitudine, quod Pilare nuncupatur: tertium & postremum quod Iliacum nonnulli appellant. Sturnus autem merulæ vulgari ferè similis est; niger enim est, verùm albis maculis distinctus est. Aues ex miliaricæ à Varrone nuncupantur, à Milio, quo maximè ad saginam farciuntur. Loca maritima hiemequærunt, & iuniperis ac myrtis abundantia. Etiam apud nos frequentant, & sepes, ibique pabulum quærunt. Turdo primas tribuit Martialis, in eo Poëtæ nostro cõtrarius. Sic verò Martialis:

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Meruli, turdi, sturni, quale alimẽtum. lib. 6. sanit. tuend.

Et certè turdi potissimum quidem hieme probum & copiosum corpori alimentum suggerunt, & minimum excrementitium. Ab his autem abstinendum est qui lapsanum, quod nostri Napellum vocant, esitant. At merularum caro tardè concoquitur, parum alit, adeoque succum melancholicum gignit. Merulas & turdos Galenus reponit inter eos cibos, qui in symmetria & omnis excessus mediocritate consistũt. Sturni autem ab obsoniis planè reiiciendi sunt, quod cicuta vescantur. Galenus tamen esum sturnorum concedit iis qui gracili sunt habitu, extenuato & sicco. Carnes enim eorum proximas collocat ab attagenarum carnibus.

De alavda, cap. XII.

Ignea si galeata mihi est præpinguis Alauda,
Sit breuior, ne sit cœna molesta mihi:
Durior aluus erit, sed ius dabit ilia soluens,
Sic malè quod nocuit, sponte iuuare solet.

Alauda auis est pusilla, quæ priùs Galerita vocabatur. habet enim in capite velut galerum ex pilis spontè enatum: cuius occasione efficta est quæ apud Aristophanem Comicum legitur fabula. Is enim in hunc modum inquit: Imperitus es & curiosus, & nec Aesopum quidem didicisti, qui ait, Galeritam primam volucrum fuisse, etiam ante terram. Inde patre morbo defuncto, cùm humus nondum esset enata, illum quidem dies quinque iacuisse: at hanc præ inopia melioris consilij, in capite tandem patrem suum defodisse. hoc quoque aiunt (obscurè licet) designasse tamen Theocritum: Alauda cur primum galerita dicta.

οὐδ' ἐπιτυμβίδιαι κορυδαλλίδες ἠλαίνοντι.

nempe indicare illum eas, quæ in capite tymbon, hoc est sepulchrum gerant. Est autem auis hæc nulli non nota. Philosophus in sua animalium historia, huius duo constituit genera: alterum terrenum cristatum, Galerita à crista appellatum: alterum gregale, nec singulare, more alteriùs, verùm colore simile, quanquam magnitudine minus, & galero carēs, cibo verò idoneum. hoc vbique frequentissimum, & proinde hiberno tempore fit earum captura largissima, quo tempore præstantiores, quia pinguiores existunt. facilè concoquuntur, & satis probum succum gignunt. Galen. lib. 11. de simpl. medicam. facult. ait galeritam in iure elixam colicis mirum in modum prodesse, sæpius se expertum eius summam aduersus eum morbum vtilitatem & vsum. Verùm perpetuò eam simul cum iure edere necesse est. Alaudorum genera duo. Alaudæ qualem succum gignant. Galerita in iure elixa colicis summum remedium.

De ficedvla, cap. XIII.

Si sapit & calida arescit Ficedula, quæris
Cur piper? vt melius si bibis inde coquas.

Ficedula auis est quæ ficuum esu pinguescit: (vnde Galli *Becque-figue* vocant) vel Martialis testimonio, his verbis: Ficedula vnde dicta.

Quum me ficus alat, quum pascar dulcibus vuis,
Cur potius nomen, non dedit vua mihi?

Iuuenalis quoque eius auis meminit, cùm ait:

—Et eodem iure natantes,
Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

Ficedula in deliciis apud Romanos fuit

Hoc nomen non nisi autumno habent, posteà enim Melancoryphi vocantur. Summo fuisse in pretio & deliciis apud Romanos ficedulas ex Gellio constat. Scribit enim tantam fuisse veterum in cœnis instruendis luxuriam, vt negarent auem vllam præter ficedulam totam comesse oportere. Ficedulæ autem autumno, quo tempore pinguiores sunt ex esu vuarum & ficuum, boni alimenti existunt, facileque concoquuntur.

DE PASSERE, CAP. XIIII.

Ardet & est molli passer durißimus aluo,
Si vis esse salax, hic cerebella dabit.
Cur neget? huic subitam sunt adducentia mortem,
I, Venus hinc, solas ni modo perdis aues.

Controuersa Platinæ & Galeni de alimēto passerum sententia.

PAsser ob eius immensam caliditatem (quam arguit salacitas illius maior quàm vllius alterius auis) malè alit, difficulter concoquitur, & libidinem excitare creditur: ob idque à patinis nostris abesse debet, vt scribit Platina. Contrà Galenus passerculos omnes ex eo ciborum genere esse ait, quod nulla omnino ex parte damnandum, quodque in omnis excessus moderatione consistit. Ceterùm, passer cuiuis notus est. Est apud Aëtium passer aliquis troglodytes appellatus, quem ait miram habere à natura vim cōtra renum & vesicæ calculum.

Passer troglodytes.

DE HIRVNDINE, CAP. XV.

Defleat infandos ingrati coniugis ausus,
Igniti & nocui cùm sit Hirundo cibi.
Cur noceas? dulci modulamine sedat habendam,
Thraicios fugiens intrat amica lares.

Terei in hirūdinē conuersi historia.

REfert Seruius Tereum regem Thracum, Martis ex Bistonide nympha filium fuisse: qui cùm Pandionis regis Athenarum filiam Prognem nomine vxorem duxisset, post aliquantum tempus eius sororem Philomelam per speciem

ciem visendæ sororis abductam vitiauit, vitiatæque linguã præcidit. Quod facinus cùm illa indicare alioqui non posset, rem in veste suo cruore depictam sorori misit. Qua re cognita Progne, vt sororem vlcisceretur, Itym filium interemit, & patri epulandum apposuit. Prolato deinde capite, cùm pater se vxoris dolo filium in sua viscera condidisse agnosceret, & ad vltionem properaret, omnes in aues mutati sunt: Tereus in vpupam, Itys in phasianum, Progne in hirundinem, Philomela in auem sui nominis, quæ etiam Luscinia nuncupatur. Fabulam prolixius describit Ouidius in Metamorphosi. lege etiam Plutarchum in opusculo de nota Pythagorica, qua hospitem hirundinem recipi nolebant, quod ex octauo Symposiacorum volumine desumptum est. Tradunt propter id Terei regis facinus, hirundines atria non introire. Thebarum quoque tecta subire negãtur, quòd vrbs illa sæpius capta sit. Auem hanc non fuisse esui apud antiquos crediderim: eius enim vires in cibis à nullo antiquiorum medicorum descriptas inuenio. Dioscorides ait hirundines vt ficedulas in cibo aciei visus medicamentum præbere. habet alios quoque non paucos in medicinis vsus.

Atria cur non intrant hirũdines.

DE RELIQVIS MINVTIS AVICVLIS, CAP. XVI.

Nunc video innumeras, & circum rete volutas,
Crediderim exustas esse volucriculas.
Has coquus arte parat celebri condire, vocatus
Sum coque, iam venio, tardior olla tua est.

AViculas omnes persequi infinitum esset, quam ob causam reliquas omnes hoc vno capite complectemur. Ergo auiculæ montanæ, id est, quæ tum nascuntur, tũ degũt in montibus, multò sunt præstantiores iis quæ in locis planis oriuntur, ex iisque victum capiũt. Quæ enim in stagnis, locis aquosis & campestribus degunt, humidiores sunt & excrementosæ: quæ verò in montibus viuunt, omnes temperatura sunt ficciore & calidiore, earumque caro minimũ est pituitosa & lenta. Porrò earum bona pars potius cantus & voluptatis gratia, quàm mensarum causa alitur. Ex his enim plures dociles Latino Gallicoque sermone spectantur. Et hæc quidem de terrestribus animalibus dicta sufficiant.

HVGONIS FRIDÆVALLIS SAMPAVLINI, DE SANITATE TVENDA,

LIBER IIII.

PRÆFATIO.

INITIO *libri superioris animalium, duas fecimus differẽtias & genera, vnum terrestre, alterum verò aquaticum. De terrestribus animalibus, & de alimento quod ab eis sumitur, abundè satis diximus: superest vt de aquatilibus seu piscibus agamus. Aquatilium animalium duplex est differentia: alia enim in fluido degunt, victumq́ꝫ ex humore petunt, quem etiam humorem per vices recipiunt & reddunt, nec nisi in humore viuere possunt: alia degunt quidem in fluido, victumq́ꝫ inde emoliuntur, sed aërem non humorẽ recipiunt, & foris parere solent. huius generis cõplura sunt, partim gressilia, vt latrix, latex, crocodilus; partim volucres, vt mergi, vrinatrices, & quæ nullis pedibus innituntur* ἄποδες *dictæ. Ex his nonnulla cùm victum in humore exerceant, nec foris viuere queant, nihil vel aëris vel humoris recipiunt, vt vrtica, ostrea. Rursus aquatilis generis alia marina, alia fluuialia, alia lacustria, alia palustria. Eorum rursus pro tegmentorum diuersitate, plura sunt genera: alia enim corio & pilis teguntur, vt vituli, hippopotami: alia corio tantùm, vt delphini; cortice, vt testudines: silicum duritia, vt ostreæ & conchæ: crustis, vt locustæ: crustis & spinis, vt echini: squãmis, vt piscis: alia aspera cute, vt squatina: alia molli, vt murenæ: alia nulla, vt polypus. Ex aliis multis sumi solent piscium*

Aquatilium animalium differentia duplex. Aristot. cap. 1 lib. 1. de hist. anim.

Aquatilium aliæ differentiæ.

piscium differentia, vt à generatione, victu, aliisq; similibus; de quibus lege Aristotelem & Plinium. Piscis autem nomine hoc loco intelligimus animal omne quod in aquis degit, aquatile dictum: non autem illius speciem tantum cum Plinio, qui piscem aquatilis speciem (vt modò diximus) facit, à ceteris squammis distinctum. Ceterùm, apud Graecos maximo in pretio pisces fuisse certum est, qui si quando opiparum conuiuium & lautas epulas erant instructuri, eas ex piscibus parasse scriptis posteritati relictū inuenitur. Immò eorum luxum immoderatum, & summam prodigalitatem ventris gulaeq; duntaxat causa mirari subit. nam mulum vnum septem millibus ab Asinio Celere viro consulari emptum refert Macrobius: quod nō subticuit Poëta Satyricus, cùm ait: Pisces summo in pretio apud Graecos.

- Mulum sex millibus emit,
Aequantem sanè paribus sextertia libris.

Eam ob causam Cato senior, quum apud populum in immodicos sumptus & luxum inueheretur: Quàm difficile, inquit, est verba facere ventri aures non habenti? Se mirari verò dictitabat, quomodo salua ciuitas esse posset, in qua piscis pluris quàm bos vendatur. Cato senior.

LIBRI

LIBRI QVARTI, SECTIO PRIMA DE PISCIBVS IN GENERE.

De piscibvs non salitis, Cap. I.

Fert aqueum & fluidū piscis tibi quisque cruorē,
Si sit gratus aquis fluctuet æquoreis.
Littora, saxosas vel si natet impiger vndas,
Huic modo viscosa est ni pituita cape.
Stans nocet, assatus pascit bene, tardior exit
Si minus elixo pasceris, inde cacas.
Frigidulos angit neruos, languentibus ægris,
Et stomacho humenti, verticibusque grauis.
Gaudet ventre, gula & ceruice, putrescere norūt
Hæc cito, languenti est vnica cauda cibus.
Excipit hunc feruens dum retibus olla, vorato
Protinus, hinc nosces quod Venus orta mari.
Mensa lupum, rhombumque voles, timidusque rogatur
Mugil, adhuc mediis nat mea cymba vadis.

VBi de piscium alimento in genere dixerimus, de singulis posteà per capita, Plinij distinctionem à tegmētorum diuersitate sumptā sequentes agemus. *Piscatio minus optanda cur.* Piscatio equidem minus optanda mihi esse videtur: tum quòd pisces malè nutriūt, & corpora inualida atq; ægrota præstāt: quod Homeri etiā testimonio probari potest, qui bellatores suos, qui iuxta littus maris castra habebant, nusquā piscem gustare fecit. *Alimentū ex piscibus quale.* Alimentum enim quod ex piscibus prouenit, sanguinem gignit consistentia tenuiorem, quàm quod ex pedestribus animalibus sumitur, adeò vt non affluenter nutriat, & celerius discutiatur. *Qui pisces præstātiores, & contrà qui vitiosi sint, & minus laudabiles.* Optima est autē eorum piscium caro, qui in puro mari viuunt, maximè cùm ventorum procellis agitatur. Qui verò in aquis limosis & sordidis degunt, excrementitia est admodū & muccosa eorum caro. In mari autē quieto nul-

nullisque agitato fluctibus, tanto piscium caro deterior redditur, quãto minus exercitatur. In stagnis autem maritimis, quæ λιμνοθάλαττας appellant, adhuc est deterior: & hac adhuc magis in stagnis, quæ si parua fuerint, nec magnos fluuios recipiant, neque fontes habeãt, nec largum effluuium, multo profectò est deterior. Pessima sunt stagna, ex quibus nihil omnino aquæ effluit, sed stabilis est & planè immota. Qui in paludibus lacubusque, atque id genus locis degunt, pessimam carnem habent. Eorum autem qui in fluuiis gignuntur, præstantiores sunt qui in iis gignuntur, in quibus aqua rapidè fluit, & copiosa est: qui verò in stagnantibus, non boni. Hæc Galenus de præstantia piscium pro locorum vndarúmve in quibus degunt natura habet lib. 3. de alimẽt. facult. Piscium autem omnium natura ferè frigida est & humida, pro ratione scilicet natura, & consuetudine elementi ex quo ortum habent, & victum quærunt: & ob eorum frigiditatem & viscositatem difficilius concoquuntur. Sanguinem quoque frigidum & phlegmaticum generant, vnde multi iidemque graues oriuntur morbi. Neruos enim molliunt, & ad paralysim præparant: stomacho frigidiori & humidiori nocent, vt contra bilioso & calidiori valdè conferunt. In summa, frigidos affectus creant, potissimum si qui his vescitur, frigidiorem corporis totius aut partium eiusdem nutritioni dicatarum temperiem nactus sit: humiditatis autem qua abundant ratione, fit vt citò putrescant; quã ob causam recentes comedendi sunt. Ex piscium porrò genere pingues & soluti saporis, tum cibo, tum ad concoquẽdum sunt deteriores: præterea stomacho noxij sunt, & vitiosi succi, quapropter cum calidis parandi & edendi sunt. Piscium autem coctura varia est, diuersáque pro piscium diuersitate præparatio: ea autem abundè exposita est à Galeno in lib. de alim. & à Platina toto libro decimo de honesta voluptate. In vniuersum autem scire hoc loco sufficiet, assatum piscem omnem copiosius præbere alimentum, sed tardioris esse descensus. contrarium in elixatis contingit. Qui verò elixari debent, præstat eos in aquam feruentem priùs immitti, melior enim fiet ea ratione eorum decoctio. Ceterùm, partibus piscium maxima inest diuersitas. Eorum enim cauda, cùm motu exerceatur, bonum alimentũ affert, & gustu delicatior apparet: secundum locum habent partes quæ ad ventrem pertinent, cùm pingues fuerint.

Piscium natura.

Pisces pingues.

Pisciũ coctura ratio à quibus tradita & exposita

Cauda pisciũ.

de vt Alec. Mugil verò & lupus,& reliqui ferè omnes squãma intecti deteriores sunt cùm ferunt. Similes sibi ferentes & non ferentes pauci sunt,vt glaucus. Vitiantur etiam senectute pisces: & quidem thynni,vel ad rem salsamentariam senes improbi sunt: multum enim carnis absumitur. Quod idem vel in ceteris piscibus euenit. Manifesta est eorum senectus ex duritie & magnitudine squammarum. Iam captus est thunnus senex, cuius pondus erat ad talenta quindecim, & caudæ interuallum ad cubita quinque & palmum. Fluuiales & lacustres pisces optimi sunt, post partum & seminis genitalis emissionem. Sed nonnulli etiam cùm ferunt, commendantur,vt saperdis: alij damnantur,vt silurus. Cùm ceteri omnes mares suis feminis sint præstantiores: silurus fœmina præstat suo mari: & in genere anguillarum quoque meliores sunt, quas fœminas vocant, quæ nomen fœminæ temerè accepere. Non sunt enim fœminæ,sed quia aspectu à ceteris discrepant,fœminæ appellantur. De piscibus in genere diximus: de singulis iam ordine dicamus.

Qui pisces deteriores sint cùm ferunt.

Thunni senes ad saliendum inepti.

Thunnus immensæ magnitudinis.

Pisces mares fœminis præstantiores.

Silurus fœmina mari suo præstat.

Anguillæ fœminæ.

LIBRI QVARTI, SECTIO SECVNDA, DE PISCIBVS SAXATILIBVS.

SAxatiles pisces dicuntur,quòd in saxis stabulentur. De his autem primum dicere instituimus,quòd bonitate ceteros vincant. Inter hos verò scarus excellere suauitate creditur.

Saxatiles pisces qui.

DE SCARO, CAP. I.

ΣΚάρ☉ mari Carpathio familiaris est. Solus ruminare dicitur,& herbis,non aliis piscibus vesci. Octauius seu (vt alij volunt) Optatus Elipertius, classis sub Claudio præfectus, cùm sciret scarum Italicis littoribus adeò ignotum,vt nec Latinum nomen eius piscis habeamus, incredibilem scarorum multitudinem in variis nauibus huc aduectam,inter Hostiam & Campaniæ littus in mare sparsit,miroque ac nouo exemplo pisces in mari tanquam in terra fruges aliquas seminauit. Idemque tanquam summa in hoc vtilitatis publicæ verteretur,quinquennio dedit operam,vt si quis inter alios pisces scarum fortè cepisset,incolumem cõfestim & inuiolatum mari redderet. In scaro perspicacia magna est, cui coniunctum societatis studium videre est. vbi hamum glutiuit scarus, ceteri qui tum adsunt properant, & funicu-

Scarus.

Octauius seu Optatus Elipertius.

Scari perspicacia.

funiculum abrodunt. Iidem si quis fortè in nassam aberrauit, caudam intro porrigunt, & hunc mordicus inhærentem foras extrahunt, & ad se reducunt. De scaro sic Martialis:

Hic scarus æquoreis qui venit obesus ab vndis;
Visceribus bonus est, cetera vile sapit.

Ori tamen gratus est, difficulter digeritur, facilè deiicitur, facilè etiam corrumpitur.

De MERVLIS ET TVRDIS, CAP. II.

IN saxatilium genere secundum locum habent merulæ & turdi: nonnulli piscatores diuersis nominibus pisces hos non distinguunt. Aristoteles merulas & turdos diuersis anni temporibus, varios etiam induere colores scribit. Vere scilicet exaturato colore spectari, æstate diluto & minus atro. Columella merulas & turdos viuariis includi præcipit, vt reliquos saxatiles qui in pretio sint.

De IVLIA, FVCA ET PERCA, CAP. III.

Iulia seu iulis.

Fuca. lib. 9. cap. 26.

Perca, eiusque duo genera.

TErtio loco constituendæ sunt Iuliæ, fucæ ac percæ: iuliæ seu iulidis meminit Plinius cap. 9. lib. 32. suæ naturalis hist. vbi ait: Optimum esse subducendæ aluo ius, ex scorpionibus, iulide, & saxatilibus virus non resipientibus. Fuca à Græcis φυκὶς dicitur. de qua sic idem Plinius: Piscis est verno tempore varius, reliquis anni partibus candidus, ex alga nidificans, & in nido oua pariens. Perca delicatissimus est piscis. duo eius genera: alterum marinum est, mænæ pisci simillimum: alterum in fluuiis & lacubus capitur. quod postremum genus accommodatissimum febricitantibus alimentum.. Caro tamen eius dura est, parumque lentoris habet. Galli nomen antiquum retinent, appellantque percam.

De CYNAEDO, CAP. IIII.

Cynædus.

CYnædus è saxatilium quoque est genere. Ius ex eo aluum mollit. varie coquitur: frixus autem præstantior est. ex Arantio vbi refrixerit editur.

De ANTHIA, CAP. V.

Anthias.

ANthiarum nonnulli in genus hoc saxatilium piscium reponitur. horum enim plura sunt genera: licet Plinius dicat anthiam capi vno tantum genere. Frequentes esse anthias apud Chelidonias insulas nonnulli tradiderunt. Græci aliquot piscem hunc hieme optimum esse scripserũt.

Home-

Homerus anthiam sacrum piscem vocat. Nonnulli quòd magnus sit: alij verò quòd in tutela numinis sit, adhæc omnibus expetatur, dictum sacrum putãt. Et siquidem anthiam piscatores aliquando cepere, ipsi conspicui lætique redeunt, nauiculas coronant, mox applicantes plausũ & strepitu accipiuntur, honoranturque. Plerique verò sacram anthiam esse dicique idcirco volunt, quia quo loci est, bellua nulla compareat. Eam enim horrent, tutoque spongiatores vrinentur, ac pisces ipsi tuti pariant, hanc immunitatis ceu fideiussionem nacti. Anthias piscis sacer Homero, & cur sacer existimetur.

De gobio, cap. VI.

Gobiones seu gobij modò littoralibus (de quibus sequenti capite dicemus) modò saxatilibus adscribũtur. Esse eos ex eorum numero ait Galenus, qui parui perpetuò manent. Horum tres species Athenæus refert: alij à colore duplex gobionum genus faciunt, vnum album, alterum nigrum. Galenus differentias in gobiis ex loco & pabulo constituit: Præstantissimus, inquit ille, ad suauitatem concoctionem & distributionem est is, qui in arenosis littoribus aut saxosis promontoriis degit. At qui in ostiis fluminum, aut stagnis maritimis viuit, neque ad coquendum facilis est; neque boni succi. Si verò limosa quoque fuerit aqua, aut fluuius vrbem expurget, gobius ibi genitus pessimus erit, quales sunt ceteri pisces omnes qui in eiusmodi aquis vitam exigunt. Porrò gobiorum caro, vt est saxatilium carne durior, ita est mulorum carne mollior. Corpora autem vescentium proportione nutrit. De piscis hoc genere sic cecinit Martialis: Gobionum species tres. Gobiorum caro.

In Venetis sint lauta licet conuiuia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

Sunt qui lotam Ararinam de genere gobiorum esse asserant: alij verò galeorum generi ascribunt. Lota ararina.

De exoceto et chamia, cap. VII.

Saxatilibus annumerandi sunt exoceti, de quorum carne nihil veteres tradiderunt: & chamiæ, quæ hiatulæ à Gaza apud Aristotelem nuncupantur. Licet Aristoteles inter pelagios reponat: harum Diocles teneram carnem esse ait: perca tamen paulò duriorem. Hiatulæ.

De alimento saxatilivm piscivm, cap viii.

Alimentum quod ex ſaxatilibus ſumitur, non modò ad coquendum eſt facile, ſed hominum corporibus etiam eſt ſaluberrimum. Sanguinem enim conſiſtentia medium, id eſt, non admodum tenuem aut aquoſum, nec ita craſſum generat.

LIBRI QVARTI, SECTIO TERTIA, DE PELAGICIS PISCIBVS.

Pelagij piſces qui.

Pelagij piſces dicuntur, qui in mare profundũ ſecedunt: in quorum catalogum mugilem primum adſcribemus: licet is præ ceteris piſcibus maximè tam in mari quàm in fluuiis verſetur.

De mvgile, cap. i.

κέφαλος.

Mvgilẽ κέφαλον Græci vocant, nomine à capite ſumpto. eius enim caput curtum & groſſum eſt. Hic omnium piſcium ſquammis intectorũ velociſſimus eſt. Mugilum natura, inquit Plinius, ridetur, capite in metu abſcõdito, totos ſe occultari credentium. Magnum eſt inter mugiles præſtantiæ & bonitatis diſcrimen, pro loci in quibus degunt diuerſitate. Qui in mari degit, paruas & plurimas ſpinas habet, guſtu iucundus eſt, gratuſq́ue ori. Præterea hic quoque præterquàm quod tener eſt, facilè ſubducitur. Fluuialis ſpinoſus admodum eſt, ſapore pingui, eſu & concoctu ineptior, ſtomacho infeſtus, mali ſucci ac viroſus. Sale tamen maceratus, longè melior ſeipſo efficitur. Qui verò in turbidis aquis & ſtagnis, in quibus aqua ſtat verſantur mugiles, grauioris ſunt odoris, difficillimè diſtribuuntur: cúmque ex ſimo pinguiores redditi ſint, admodum inertem habent carnem. Indureſcit verò mugil cùm in magnitudinem excreuit. Optimus eſt cephalus menſe Septembri.

Mugil marinus. Fluuialis. Optimus cephalus quãdo

De lvpo, cap. ii.

Lupus Romanis in deliciis habitus. Tiberinus lupus. Varro.

Lvpum λαύρακα Græci appellant. Eum Romani piſcibus omnibus prætulerunt. In magno autem, dicam vel maximo, apud prodigos honore fuit Tiberinus lupus, & omnino omnes ex hoc amne piſces. Id aſſerit Varro. enumerans enim quæ in quibus Italiæ partibus optima ad victum gignuntur, piſci Tiberino palmam tribuit his verbis: Ad victum optima fert, ager Campanus frumentum; falernus, vinum;

num: Cassinas, oleum: Thusculanus, ficum: mel, Tarentinus: piscem, Tiberis. hæc Varro de omnibus huius fluminis piscibus. Sed inter eos (vt modò diximus) primum locum lupus tenuit, & quidem is qui inter duos pontes captus esset. Id ostendunt cùm multi alij, tum C. Titius vir ætatis Lucilianæ in oratione, qua legē Fanniam suasit: in qua in homines prodigos inuehens, in forum ad indicandum ebrios cōmeantes, quæq́ue soleant inter se sermocinari, describēs ait, Eunti in consilium vbi hæc oratio? Quid mihi negotij est cum istis nugatoribus, potius quàm potamus mulsum mistum vino Græco, edimus turdum pinguem, bonumq́ue piscem, lupum Germanum, qui inter duos pōtes captus sit. Sed & Lucilius, acer & violentus Poëta, ostendit scire se hunc piscem egregij saporis, qui inter duos pontes captus esset. cumq́ue quasi liguritorem Catillonem appellat, scilicet qui proxime ripas stercus insectaretur. Est enim piscis hic voracissimus, & stercorum latrinarumq́ue auidissimus sectator, adeoq́ue à nullo sordium genere temperans. Lucilij hi sunt versus: C. Titius. Lucilius. Lupus piscis voracissimus.

Fingere preterea afferri quod quisque volebat,
Illum sumina ducebant, atque altilium lanx,
Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.

Paulus Iouius in eo libello quem de Romanis piscibus edidit, Spigolam lupum vocari ostendit, multisq́ue argumētis eorum opinionem conuincit, qui hunc stutionē (de quo infrà) esse putauerunt. Lupum affirmat Galenus in aquis dulcibus nunquam nasci, sed è mari in flumina aut stagna ascendere: ideoq́ue parui rarò occurrunt. Bimestris lupus optimus est, tener, boni succi, & stomacho idoneus. Quanto verò maior fuerit, tanto durior efficitur. Paulus Iouij lupum Spigolam vocat. Lupus in aquis dulcibus non nascitur. Bimestris lupus optimus.

De mulo, cap. III.

Mulum Aristoteles à Græcis ideò τρίγλην ait vocatū, quòd ter pariat. Mulus autem dicitur, vt ex Fenestellæ sententia docet Plinius, à colore mulleorum calceamentorum. Habēt in inferiore labro barbam geminam; vnde peculiari epitheto Barbati & Barbatuli à Tullio & Varrone appellantur: qui autem barba carent, inglorij habētur. Differt Pelagius mulus à saxatili, quòd rufus sit, cinnabariq́ue atque auro similem aspectum habeat, idem barbam fert. his inferiores sunt qui in littoribus viuunt. Maximæ nobilitatis & gratiæ apud Romanos fuit, tantiq́ue pretij, vt Asinius Mulus cur τρίγλη dictus. Barbati & Barbatuli. Mulus summo in pretio apud Romanos.

Asinius Celer

nius Celer vir cōſularis Claudij Cæſaris temporibus, mulū vnum ſeptem millibus nummûm mercatus eſt. In quo luxuriam illius ſeculi eò magis licet æſtimare, quod Plinius Secundus temporibus ſuis negat mulum repertum, qui duas pondo libras excederet. At nunc & maioris ponderis mulos paſſim videmus, & pretia hæc inſana neſcimus. Celebratur mulus, inquit Galenus, tanquam voluptate cibos reliquos ſuperet. Omnium fermè aliorum carnem habet duriſſimam & valdè friabilem. Cùm probè confectus fuerit, omnibus aliis piſcibus copioſius nutrit: Stomacho idoneum eſſe ſcribit Xenocrates, boni ſucci, ori gratum, planam habere carnem & difficilem ad corrumpendum, ad excernendum autem mediocrem; obſoniorum denique eſſe præſtantiſsimū.

Caro muli.

Xenocrates.

LIBRI QVARTI, SECTIO QVARTA, DE PISCIBVS MOLLI CARNE PRAEDITIS.

De asello, cap. I.

IN piſcium genere molli carne præditorum primas tenēt aſelli, ita dicti, quòd cineritio ſint colore, ſicut aſini. horum duo reperiuntur apud Plinium genera: collariæ minores, & bachi qui non niſi in alto capiuntur, ideoque prælati prioribus. Alij aſellorum quatuor genera fecerunt. Cornelius Nepos, & Laberius Poëta mimorum, præcipuam auctoritatem à lupo aſellis tradidere. Et certè ſi aſelli probo alimento vtantur, & in mari puro degant, carnis bonitate cum ſaxatilibus contendent. Horum quidem mollis eſt caro, ſed non æquè ac ſaxatilium eſt friabilis. At qui alimento prauo vtuntur, & in aqūis mixtis verſantur: mollitiem quidem carnis nōn amittunt, ſed tamen pinguedinem acquirūt, propter quam non æquè vt priùs ſuaues manent, atque alimētūm excrementorum plenum corpori præbent.

Aſelli vnde dicti.
Aſellorum duo genera.

Cornelius Nepos & Laberius poeta.
Aſellorum alimentum.

De mvraena, cap. II.

MVrænæ caro in ciborum delitiis non poſtremas partes habet, ſi in aqua pura verſetur: aliàs in aquis mixtis degens primam gratiam deperdit. In maximo autem pretio apud Romanos fuiſſe murænas, ex eo licet colligere, quòd ad piſcinas vrbis Romanæ accerſerentur murænæ ab vſque freto Siculo, quod Rhegium à Meſſana deſpicit. Illic enim optimæ à prodigis eſſe creduntur, tam hercule quàm Anguilla. quod non ignorauit Martialis, cùm ait:

Murænæ caro in ciborum delitiis apud Romanos.

Murenæ vbi optimæ.

Qua

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exustam mergere sole cutem.

Et vtræque ex illo loco Græcè πλῶται vocantur, Latinè Flutæ, quòd in summo supernantes, sole torrefactæ, curuare se posse, & in aquam mergere desinunt, atque ita captu faciles fiunt. Varro verò in Sicilia manu capi murænas flutas ait, quod hæ in summa aqua præ pinguitudine fluitent. Et verò si enumerare velim quàm multi magnique auctores, murænas è freto Siculo nobilitarint, longum fiet. Sed quis non miretur indomitam apud veteres illos Romanos, & (vt ait Cæcilius) vallatã gulam fuisse, qui ex tam longinquo mari instrumenta luxuriæ compararent? nec rarus hic Romæ piscis, vt peregrè accitus erat. Auctor est Plinius, C. Cæsarem dictatorem cùm triumphales cœnas populo daret, sex millia murænarum à C. Hircio ad pondus accepisse. Mansuescunt autem murænæ, & de manu cibum capiunt; vnde & à quibusdam supra quàm credi posset, feruntur adamatæ. Refert Plutarchus in Politicis, & in opusculo de industria animalium, Crassum murænam in viuario suo mortuam, vt filiam defleuisse, & tumulo condidisse. Est autem muræna duplex, marina & fluuialis. Paulus Iouius in eo quem de Romanis piscibus edidit opere, arbitratur eandẽ esse quæ à Plinio mustela, & à lambendis petris Lampetra dicitur.

Murenæ πλῶται id est, flutæ.

Varro.

C. Cæsar dictator.

Murænæ mansuescunt.

Crassus murænam mortuam deflens.

Murænæ duplex genus.

De lacerta, cap. iii.

Σαῦρος à Græcis, à Latinis Lacerta seu Lacertus nuncupatur. Huius genera aliquot recenset Plinius cap. vlt. lib. 32. suæ naturalis histor. Verisimile est vel Martialis testimonio vilem fuisse hunc piscem, nec ditiorum & lautiorum mensis apponi solitum. Sic enim scribit ille libr. 11. Epigram.

Lacertæ genera.

Mox vetus & tenui maior cordilla lacerto,
Sed quam cum rutæ frondibus oua tegant.

Rursus alibi:

Vel duo frusta rogat Cybij tenuémve lacertum,
Nec dignam tota se Botryone putat.

Saxetani lacerti idem meminit lib. 7. eiusdem operis:

Cum saxetani ponatur cauda lacerti.

Lacertus saxetanus.

Scribit Galenus lacertos medium quodammodo inter pisces, quorum mollis caro est, & quorum est dura, locum tenere.

DE AMIA, CAP. IIII.

Amia pelamidi similis. Amia gregalis piscis.

AMia à Philotimo apud Galenum in piscium molli carne præditorum genus refertur. Est autem amia Plinio pelamidi similis, cuius incremētum singulis diebus intelligitur. Gregalis est piscis, teste Aristotele, & ab aliis piscibus expetitur. Pontum petit pastus gratia, & ibi æstatem traducit. Quam ob causam minus salubres existimantur reliquis piscibus qui in puro mari degunt. Succum tamen probum gignere scribit Hicesius, leuius tamen alere, & ad excretiones medias esse. Commendatissimas autumno post Vergiliarum occasum Archestratus facit.

DE PASSERE, CAP. V.

Passer marinus est & fluuialis.

Ψῆττα Græcis, Latinis passer stagna subit & fluuios. Marinos autem fluuialibus & stagnalibus præferri ratio postulat. Passerum plures repetiuntur differentiæ, quæ maioris & minoris ratione distinguuntur. Frixi & elixi manduntur passeres. Ceterùm, buglosso inferiores existunt.

DE BVGLOSSO, CAP. VI.

Linguado. Lingulaca. Solea. Buglossi seu soleæ caro.

Βούγλωσσος piscis plani genus est. Hermolaus in cap. 15. lib. 9. Plinij ait Buglossum ita dictum esse, à βοῦ, quæ dictio est ἐπιτάσεως δηλωτική, & γλῶσσα: quod linguæ magnitudine vincat. Ideoque Linguado & Linguata Hispanis Romanisque dicitur. Varro quoque Lingulacam nuncupat. Pliniis autem aliique Soleam, à soleæ quæ pedis solo subiicitur, similitudine. Latus enim est, nec admodum longus. inter lautos cibos habetur. Caro enim eius alba, firma, & dura est: ob idque non temerè quis miretur Galenum, buglossum passere molliorem esse pronunciasse. Porrò & suauior est, & omnino melior passere. Buglossi & passeres bonū succum gignunt, & satis facilè excernuntur.

DE HEPATO, CAP. VII.

Iecorinus.

HEpatus quem Græci ἥπατον vocant: erythrino & pagro similis est, vt refert Athenæus. Hepar Plinio dicitur, Gazæ verò Iecorinus. Felle carere traditur. Mediocriter alit, difficulter concoquitur, facilis excretionis est. Hepatus vt citharus in medio est piscium duræ carnis & mollis.

DE CITHARO, CAP. VIII.

Citharus Apollini sacer.

CItharus latus est piscis. Apollini sacer fuisse scribitur. Apud Latinos nomen nondum inuenit. Citharus mali est succi, & stomacho non idoneus: ægrè corrumpitur, facileque excernitur.

De rhombo, cap. IX.

Rhombus à figura ita dictus: citharo adſimilis eſt. Piſcis eſt ſolidus: ob idque difficulter corrumpitur. Is ſi quidem magnus ſit, quoniam difficulter conficitur, & ſatis alit, per vnum diem aſſeruatus coqui debet. Rhombus in Adriatico mari, potiſſimùm verò in ſinu Rauennate captus ſuauiſſimus eſſe creditur. Apud maiores non niſi principum menſis apponebatur. Ouidius, mirandum littore Adriatico Rhombum dixit. Iuuenalis quoque his verbis:

Rhombus vnde dictus.

Rhombus in Adriatico mari præſtantiſsimus.

Incidit Adriaci ſpatium admirabile Rhombi
Ante domum Veneris.

Item Martialis:

Quamuis lata gerat patella rhombum,
Rhombus latior eſt tamen patella.

Miratur Galenus Philotinum rhombos catalogo piſcium molli carne præditorum non adſcripſiſſe. Carnem habet rhombus cithari carne molliorē: aſellis autem inferior eſt.

De vmbra, cap. X.

Vmbræ ſeu vmbellæ σκιν́ιδες, & σκιαίναι, duplici nomine appellantur. Paulus Iouius Romæ vmbram in delitiis fuiſſe prodidit: eiuſque caput Triumuiris Romæ conſeruatoribus dono dari. Nonnulli piſcem regium, alij verrucariam vmbram nuncupant. Vmbellæ ori ſuaues, boni ſucci ſunt, facilis diſtributionis, non admodum autem nutriūt, facileque excernuntur. Eſt etiam fluuialis vmbra, quæ auro veſci, ſeu aureis arenis creditur. Inter ſalubres piſces reponitur, & morbo conualeſcentibus ſalubris eſt. Stomacho enim minimè inimica eſt.

σκιν́ιδες & σκιαίναι.

Vmbra Romę in deliciis.

Vmbræ variæ appellationes

Vmbra fluuialis aureis arenis veſci creditur.

De alimento piscivm molli carne praeditorvm, cap. XI.

Omnium prædictorum piſcium alimentum hominibus qui non exercētur, otioſis, imbecillibus, & ægrotantibus aptum eſt. Qui verò exercentur, cibos valentioris materiæ poſtulant. Molle autem & friabile alimentum, vel ex eo quod optimi ſucci eſt, ad bonam valetudinem accommodatiſſimum eſt. Nihil enim eſt quod magis ad tuendam ſanitatem faciat, quàm ſucci bonitas. Varius eſt autem pro vario guſtu edentium huiuſcemodi piſcium apparatus. Nōnulli enim eos in ſartagine frigunt, alij aſſant, nonnulli iis elixis vtuntur, alij in patinis eos condiunt. At optimus eſt ad concoctionem is apparatus, qui ex albo iure conficitur.

Ius album.

qui molli carne constant, habendum esse manifestum est: reliqui verò musteli dura carne magis sunt præditi. De marino mustelo (quod piscis genus animal etiam intra seipsum patit) hoc imprimis certè admirandum narratur, pati catulos de ventre suo cùm volunt in pastum excurrere: rursus cùm visum fuerit in ventrem reuocatos claudere, & veluti in nidulo fouere: quod Plutarchus in opusculo de industria animalium his verbis expressit: At galei paterna quadam indulgentia nulli animalium vel suauitatis vel summæ bonitatis palma cedunt. Oua primùm, mox animal, non foris vt cetera, sed in seipsis edunt, tum educant, gestantque ceu partu secundo quodam, ac vbi iam adoleuere, foris emittunt, ludere & natare circum se docent: mox in se rursum per os recipiunt: inhabitandum incolendumque corpus præbent, locum, cibum, refugium tantisper dum ipsis ex sese præsidium certum sit, suppeditantes. Ceterùm, galei mali succi & grauis odoris sunt, segnemque materiam & trahunt & gignunt.

Marinus mustelus, eiusque bonitas & veluti paterna indulgentia. Plutarchus.

Galeorum alimentum.

De scorpio, cap. IIII.

Σκόρπιος Græcis, Latinis Scorpius & Scorpio, multa & solida carne constat, vberiusque alit. Pelagius scorpius præstat sapiditate & alimenti copia, limoso & lutario. Galenus in saxatilium inopia sumendum esse scorpium existimat. Athenæus scorpium à scorpæna diuersum facit: Scorpios & scorpænas, inquit, crebro in cibos sumimus, quos succo & colore differre nulli non cognitum. Massilienses scorpium scorpęno sua lingua, id est, Scorpænam appellaut. Scorpenæ autem duræ carnis propter succos sunt, & ob eam causam apparatu indigent: & cùm ad excretiones aptæ sint, ori quoque sunt gratæ. Ambrosius refert scorpænam castitatem immaculati connubij generi suo seruare.

Scorpius Pelagius.

Scorpius à scorpæna differt apud Athenæum.

Scorpenæ caro.

Scorpenæ castitas.

De trachvro, cap. V.

Τράχουρος Græcis ab asperitate nomen accepisse videtur. Latini dictionem Græcam retinuerunt. Trachuri à nonnullis etiam Sauri nuncupantur. Ori quidem comedendo apti sunt, stomacho autem minus idonei sunt, & facilè corrumpuntur: fluitant, ventrem non alunt.

Trachuri nomen vnde.

Sauri.

DE CERNVA, CAP. VI.

ΟΡφοι Gaza Cernuam est interpretatus apud Aristotelem, qui littoralibus orphum adnumerat. Athenæus probi & copiosi esse succi cernuam scribit: glutinosum & ægrè corruptibilem, plurimùm alere, & vrinam ciere. Quin & partes circa caput glutinosas concoctu faciles, carnosas verò difficilius confici & magis grauare.

DE GLAVCO, CAP. VII.

Glauci nomē

GLaucus Græcis & Latinis à colore nomen accepit. æstate mediis feruoribus latere glaucum sexagenis diebus refert Plinius.

DE CONGRO, CAP. VIII.

Congrus lepram accersit

COngrus Aristoteli carniuorus est: oblongus est piscis & lubricus, maiori anguillæ non dissimilis. Nonnulli congrū in cibo frequentiore lepram accersere tradunt. Congrus nec ori gratus, nec tamen adeò mali succi est, modicè aptus ad concoquendum & alendum, ad excernendum verò vitio vacans.

DE LAMIA, CAP. IX.

LAmiæ inter duræ carnis pisces rectè à Philotimo numerantur Galeni auctoritate. Legendum autem esse Lamia apud Galenum in libro tertio de alim. facult. & vitium esse in Aldino codice, vbi amiæ legitur, ex eo coniicere est facile, quod inter molli carne præditos pisces amiæ ipsæ à Philotimo connumerentur.

DE LIBELLA, CAP. X.

Zygena.

LIbellarum quoque haud perperam Philotimus inter pisces duræ carnis meminit. Verum, inquit Galenus, vna etiam earum insuauitatis mentionem facere debebat, ceu aliorum quoque quos omisit. Hoc piscis genus Zygenam Aristoteles appellat, & Philotimus Gaza libellam apud Aristotelem vertit.

DE PAGRO, CAP. XI.

Pagrus à paguro differt.

PAgrus à Græcis φάγρος, πάγρος, & φάγουρος appellatur. Pagros Nilus educat, vt refert Athenæus: difficulter corrumpitur, & conficitur pagrus, quod duræ sit carnis, & non facilè secernitur. Diuersum est hoc genus piscis à paguro: (Plinio tamen idem) hic enim è cancrorum est genere. Paguros refert Plutarchus facula cauernulis vel inuitos euocari.

DE

DE AQVILA, CAP. XII.

INter duræ carnis pisces annumerari quoque debent, Galeno teste, aquilæ & coracini seu corui, qui & gracchuli à Gaza interprete Aristotelis in hist. animalium appellãtur. Chartilagineis autem aquilæ adscribuntur ab Aristot. lib. 5. de hist. animal. cap. 5. Plinio verò ex genere planorum est, cap. 24. lib. 9. Gracculi.

DE CORVO, CAP. XIII.

COruus seu gracchulus à Plinio etiam monedula nuncupatur: Græcè κόλιας. Pinnas in tergum oblongas gestat: lapidem etiam in capite gerit. Affirmat Palladius dolorem laterum sedari, si sub annulo gestatus is lapis carnem attigerit. Palladius.

DE RELIQVIS ID GENVS PISCIbus à Galeno omissis, CAP. XIIII.

EIus etiam generis est hirundo, quam similem esse cuculo & mulo Athenæus scribit. Polypo carne similis est. In hunc quoque ordinem cogendi sunt miluus Græcis γίεαξ dictus. Lyca, quem vocalem esse scribit Aristoteles. Faber siue zeus, qui porcorum more grunnire traditur. Hirundo. Miluus. Lyca. Faber siue zeus.

DE ALIMENTO PISCIVM DVRAE CARNIS, CAP. XV.

PErspicuum est duræ carnis pisces difficilius quàm eos, qui molli carne præditi sunt, confici: siquidem & concoctio quæ in ventriculo, & quæ in iecore & venis sanguinis origo, & quæ in singulis corporis partibus alendis assimilatio fit in mollioribus facilius, in durioribus ægri* perficitur. prætereà ex durioribus piscibus crassus succus, ex mollioribus verò tenuior gignitur.

LIBRI QVARTI, SECTIO SEXTA, DE OSTRACODERMIS, SEV SIlicea testa intectis: seu de Conchis & Ostreis, CAP. I.

Humescunt omnes Conchæ, nimis Ostrea friget,
His inflare, salax est tibi caussa Venus.

KOγχη vox Græca est, qua significatur genus omne piscis firmiorem habens testam. Quin etiam testæ ipsæ duriores propriè conchæ dicuntur; quales sunt cochlearum atque concharum. De quorum differentiis diuersisque generi- Κόγχη qui Concharum differentiæ.

neribus lege Plinium capite 33. suæ naturalis historiæ. Propriè autem conchæ dicunrur pisces, qui læuem & planam habent testam: Ostrea verò dicuntur ij pisces, quibus scabra est asperaque testa. Ceterùm, id genus omne piscium, quorum tegumentum quod extrinsecus ipsis est circundatum, testæ aut lapidi est simile, ὀστρακόδερμα nuncuparur à Galeno & Aristotele: quæ Plinius silicum duritia intecta appellat. Id genus piscium numerosas differentias tractat etiam Aristoteles. Huius autem sunt buccina seu buccinum, purpura minus, quod petris adhærescit, & circa scopulos legitur. Buccinum, inquit Plinius, minor concha ad similitudinē buccini eius quo sonus editur, vnde & causa nomini, rotunditate oris in margine incisa. Species purpurarum sunt buccinæ. Purpuræ autem ex concharum genere sunt: in faucibus liquorem habent tingendis lanis expetitum: quinquaginta dies extra aquam viuunt purpuræ, sola sua in alimentum saliua contentæ. Et purpuræ & buccinæ tot habent in dorso circulos, quot vixere annis purpuræ publicitus cōgregatæ, fauum sicut apes construunt; in quo etiam parere dicuntur. Cibo, qui alga & muscus est, quantumcunque coegerunt, concha depromptq excipinnt sese, ac conuiuia velut per circulum agitanr, altera alteram foris sic depascente. Omnibus ostracodermis commune est, vt scribit Galenus, salsum succum in carne continere, aluo subducendę idoneum, qui in vnoquoque magis minusque ad hanc rem pro qualitatis ac quantitatis ratione sit proprius. Siquidem ostrea carnem aliorum omnium testaceorum mollissimam habent: at paruæ hiatulæ, & purpuræ, & buccinæ, & quæcunque huiusmodi sunt, duram. Ob eam causam iure ostrea potius aluum subducunt, minusque corpus alunt. Hiatulæ verò & reliqua id genus duriora difficilius concoquuntur, sed plus alunt. Ex eis autem plurimus crudus succus quem vocant, ex iis verò quæ mollioris carnis sunt, pituita gignitur. Vt igitur cùm succum salsum abiecerint, eorum caro difficulter corrumpitur, aluumque sistit: ita si quis confectum ex ipsis ius biberit, aluus quidem ei abundè deiicietur: id tamen nihil alimenti corpori afferet. Nonnulli ostrea citra elixationem mandunt cruda: quidam verò in sartagine elixata priùs frigunt, & aromatibus atque agresta suffundunt. Conchæ autem (vt ostrea) quia etiam demortuam Venerem excitare valent, apud lautos & libidinosos in pretio sunt.

Conchæ propriè qui pisces.

Ostrea.

ὀστρακόδερμα.

Buccina.

Cap. 36. lib. 9.

Purpuræ.

Ostracodermis quid commune, & eorū alimentum quale.

sunt. Ostreæ senescente luna inhuberes, macræ, tenues, & exuccæ sunt: crescente autem ipsa pinguescunt. Porrò ostrei clausi aperiendi industriam primùm indicarunt Ardeæ seu Ardeoli. Testam enim clausam degluriunt, intusque retentam diu agitant: mox vbi calore lassam languentemque censere, ibi tum reddunt iterum hiantem iam & auulsum, atque quod esui est extrahunt. Ceterùm, de ostrearum viuariis, & quis primus ea adinuenerit, lege Plinium capite 54. libro nono. Quando verò ὀστρακοδέρμων variæ multæque sunt differentiæ, vti diximus, pro quarum ratione hæc illis præstant, & succi bonitate & salubritate, si quis singulorum id genus piscium sigillatim in alendo vires scire cupiat, is quæ ex Xenocrate Oribasius de testa opertis aquatilibus scripsit, legat cap. 58. lib. 2. suorum collectaneorum. Ostreæ senescente luna quales. Ostrei aperiendi industriam quis docuit.

LIBRI QVARTI, SECTIO SEPTIMA, DE MOLLI TESTA INTECTIS PISCIBVS.

Μαλακόστρακα Græci vocant, quæ Plinius crustis intecta & crustata appellat. Id genus piscium Aristotele auctore, partem solidam foris, mollem autẽ & carnosam intus continet. Is crustatorum genera quatuor fecit, astacos, locustas, squillas & cancros: alij locustas, paguros, gammaros, echinum etiam addunt. Astacos Plinius ait de cancrorum genere esse. Ita tum apud Græcos, tum etiam apud Latinos crustatorum nomina confunduntur. Gaza apud Aristotelem ἀστάκους gammaros vertit. Galenus autem astacos à gammaris distinguit. Nonnulli gammaro fluuiali simillimùm in mari astacum faciunt: cuius brachium alterum interdum puerilis brachij crassitudinem æquare visum est. Alij gammaros ipsos cum genere cancrario confundunt. Plinius μαλακόστρακα omnia sub vna cancri appellatione complexus est. μαλακόστρακα qu[...] Crustatoru[m] genera 4. lib. 4. de hi[st.] anim. Astaci.

DE CANCRO ET GAMMARO, CAP. I.

Octipes exoritur, gemino sed onustus asello
Cancer, hydram mulcẽs suppositamque fouet.
Hic mihi in autumno pinguescens, vere vel imo

Luna

Luna magis pleno si rubet orbe sapit.
Gammare fluminea poteris si vincere cauda,
Gratior æquoreis sit mihi cancer aquis.
Tabida pulmonis si putida membra peragrat,
Cum stomacho extergit, sed premit ille meum.
Siccior hinc venter durabitur: at dabit amplas
Quum rubet accensus, renibus ille vias.
Hic tantum Herculeo ne sit timet esca leoni,
Nascitur extremo commoriturque pede.

Cancrorum duæ formæ.

CAncrorum duæ sunt formæ summæ, caudatum & rotundum. Illius cauda expressa & extenta, huius verò cauda quasi operculum alui exitum obtegit, & ventris infimæ parti ita applicatur, vt caudæ speciem nullam præ se ferat. Rotundum Græci κάρκινον, Latini transpositis elemẽtis cancrum. Caudatum verò vulgus Gammarum vocat. Cancrarij rursus & gammaracei generis plures sunt species, quas omnes abundè tractat Plinius cap. 31. lib. 9. ceterùm, is eo loco sic scribit: Cancris vita longa, pedes octoni, omnibus in obliquum flexi: fœminæ primus pes duplex, mari simplex. prætereà bina brachia, denticulatis forcipibus. superior pars in primoribus his mouetur, inferiore immobili: dextrum brachium omnibus maius. Cancer autem duplex est: duplex quoque gammarus, marinus scilicet & fluuialis: is præstantior est & suauior. Cancer autem marinus subtilior est fluuiali: vterque difficilis est concoctionis & plurimi alimenti. Cancri porrò phtisicis cum lacte asinæ, & asthmaticis prosunt. ius eorundem ad idem valet. Contra serpentium & animalium venenatorum morsus venenatos summo remedio sunt, tum comesti, tum emplastri modo lo co demorso admoti. Autumno & vere cancri pinguescunt, & plenilunio magis, quia sidus nocte tepido fulgore mitificat.

Rotundum cancri genus. Caudatum.

Cancer duplex. duplex quoque gammarus. Cancer marinus. Cãcri quibus vtiles.

DE SQVILLA, CAP. II.

κάριδες.

QVæ κάριδες à Græcis vocantur, eas Latini Squillas appellant. Paruus piscis est squilla, qui cum pinna pisce comparandi cibi gratia societatem init, vt refert Tullius lib. 2. de nat. deorum. Diphilus cancris duriores

riores carne esse voluit. Fallitur, meo quidem iudicio, Athenæus gammarum squillæ genus esse asserens. Minus quidē accuratè consideranti & primo (vt dicitur) intuitu, parum à parua squilla differre gammarus conspicietur: at si vtrumque piscem diligentius aduertas & intuearis, gammari rostratam faciem, squillæ mutilam animaduertes: gammaro recognoscentur pedes duo priores, quibus manuum vice vtitur, forcipati, squillæ vniformes: rursus squillæ lannellæ latiores, ipsa tota compressior. Falluntur quoque qui locustis similes esse tradiderunt: nam neque forcipes habet vt illi, totaque horrida est locusta.

Athenæus.

Gammarus à squilla vt distinguatur.

DE LOCVSTA, CAP. III.

LOcusta è genere est crustatorum, corpore longo, cornua ante oculos bina, longa & aspera habet, dictus à similitudine terrestris. De locusta hæc tradit Plinius: Locustæ crusta fragili muniuntur, latent mensibus quinis: similiter cancri qui eodem tempore occultantur. Et ambo veris principio senectutem anguium more exuunt, reuocatione tergorum. Ceterùm, in aquis natant locustæ, reptantium modo fluitant. Si nullus ingruat metus, recto meatu cornibus (quæ sunt rotunditate præpilata) ad latera porrectis: iisdem erectis in pauore, obliquo in latere procedunt. Cornibus inter se dimicant. Vnum hoc animalium, nisi viuum feruēti aqua incoquatur, probam carnem non habet.

Locusta vnde dicta.

cap. 30. lib. 9.

Cancri & locustæ senectutem exuunt.

DE PAGVRO, CAP. IIII.

IN cancrorum genere annumerantur paguri. Plinius Græcam appellationem retinuit.

DE MAEA, CAP. V.

MEæ quoque canceris adscribuntur. Cancrorum omnium sunt maximi.

DE ECHINO, CAP. VI.

EChinum Plinius in cancrorum genus cogit: huic spinæ pro pedibus sunt, huic ingredi est in orbem volui. Capitur ferè inter saxa, vbi se continet, ne fluctibus iactetur. Echini marini ex mulso & garo eduntur, alui subducēdæ gratia. Paranturque in patinis ouis, pipere, melleque iniectis. Imbecilli sunt alimenti, ac medij inter ea quæ humores extenuant & densant.

Echini marini vt parari soleant.

De alimento molli testa intectorum, CAP. VII.

MAlacostraca omnia duritie testaceis similia sunt, sed quæ minor sit; habent tamen salsum succum, eumq; non

non exiguum. Dura carne in totum constant, & ideò difficilius concoquuntur,& firmiter alunt, cùm scilicet in aqua potabili præcocta fuerint. Horum etiam caro vt ostreorum cùm ex aqua, vt dictum est, præcocta succum salsum deposuerit, aluum cohibet: hæc verò ægrè non secus quàm testacea duræ carnis corrumpuntur.

DE LIMACE ET COCHLEA, CAP. VIII.

Frigida muccosum lentorem ponere Limax
Munda valet, pluri ni gulà parcit aquæ.
Hæc quodcunque iecur, sed nō quia frigida curat
Illud ab innata dote superba potest.
Huic grata est natura nimis, si lumina desunt,
Tentat iter gemino Cochlea corniculo.

VArroni limax idem est quod cochlea, nomenque habet à limo, in quo per hiemem delitescit vere prodiēs. Nonnulli tamē volunt limacis nomē generalius esse quàm cochleæ, vt cochlea tantum dicatur quæ conchæ includitur, suamque domum etiam circumfert: limax verò illa quæ testa caret. Cochleæ è genere testatum seu concharum existūt: limaces autem neque inter volatilia, nec inter aquatilia numeranda esse scribit Galenus libro tertio de alimentorum facultatibus. Succus tamen ipsis inest qui ventrem subducit, quemadmodum & iis quibus testa pro cute est: eam ob causam nonnulli oleo gato vinoque ipsos condientes, eo iusculo ad aluum deiiciendam vtuntur. Limacibus verò Græci maximè in quotidiano cibo vtuntur: qui carnē quidem duram habent, adeoque concoctu difficilē, sed quæ potentissimè nutriat. Ceterùm, si cochlea seu limace, vt cibo solo esculento vti velis, vbi prius in aqua elixaris, in aliam aquam transferas, in qua rursus elixabis: tum demum condies, ac tertio elixabis, vsque dum caro tota intabescat. hoc enim modo præparata, mucorem suum deponet, aluum etiā sistet, sed alimentum dabit corpori non contemnendum.

Limax à cochlea vt distinguatur.

Cochlea.

Limacibus Græci sæpè in cibo vtuntur.

Cochleas & limaces coquendi ratio.

DE TESTVDINE, CAP. IX.

Indica quæ duro cornu Testudo rigescit,
Si coquitur, posito tegmine mollis erit.

Mansa

Mansa phthisim putrem soluit, tumidumq; lienẽ,
Fitque venenatis vermibus antidotum.
Sensibus exhibita est pulmentum nobile, morbum
Tollit & Herculeum, qui dolet oua bibat.
Calda parum humescit, fluuios montesq; peragrat.
An caro vel piscis sit, petis? est media.

TEstudo à testa qua tegitur nomen habet. Geminus illi victus est, in aquis scilicet & terra. In genere enim ἀμφιβίων animalium reponuntur. Ipsa caput modò exerere, modò subducere solet. Vnde T. Quintius Achæos de facienda contra Zacynthiorum insulam expeditione cogitãtes monuit, cauerent, ne tanquam testudines capite extra Peloponnesum extenso periclitarentur. Phidiam Eliensibus Venerem testudinem calcantem depinxisse commemorant. Quam effigiem Plutarchus in præceptis connubialibus indicare ait, mulierum munus esse & ædes custodire & silentium. Indicum autem mare testudines tantæ magnitudinis emittit, vt singularum superficie habitabiles casas integant: atque inter insulas præcipuè rubri maris his cymbis nauigent. Sunt aliæ terrestres, aliæ verò aquaticæ. Terrestres autem aquaticis medici præferunt. De testudinum generibus lege Plinium cap. 10. lib. 9. & cap. 4. lib. 32. suæ natur. hist. Coquendi testudines ea est ratio: In cacabum aquæ feruentis ex coniiciuntur. Semicoctæ & exemptæ confracta testudine, ablatisque intestinis ac pelle, iterum, donec exactè concoquantur, in cacabum ad ignem ponuntur: coctas pipere, croco, vitellis ouorum dissolutis suffundes. Alij alio modo parant & condiunt. Terrestres, vt modò diximus, reliquis præstant: duram tamen etiam hæ carnem habent: sed si probè concoquantur, boni & copiosi sunt alimenti. Sine moreto medelæ vim habent.

Testudo à testa dicta. Testudo animal ἀμφίβιον. T. Quintius. Venus testudinem calcãs quid indicet. Testudinum duo genera. Testudinum cocturæ ratio

LIBRI QVARTI, SECTIO OCTAVA, DE MOLLIBVS.

MOlle genus piscium dicitur, quod neque squammas neque asperam aut testaceam cutem, sed instar humanæ mollem habent. μαλακόδερμα Græcis dicuntur. Aristoteles mollia vocat, quæ carne molli obducta, solidum in-

μαλακόδερμα, seu mollia quæ.

intus, modo quo sanguineum genus continent. Huius generis sunt polypi, sepiæ, loligines, & si qui sunt alij his similes.

DE POLYPO, CAP. I.

Polypodis seu polypi nomē vnde. Polyporum genera.

Polypos seu Polypodes à pedum multitudine dictos esse nomen ipsum indicat. Polyporum genera plura recenset Plinius cap. 23. lib. 9. vbi multa memorabilia de hoc piscis genere narrat. Inter cetera verò colorem mutare ad loci similitudinē scribit, & maximè in metu. huius rei causam longa admodum & prolixa verborū serie exponit Plutarchus in opusculo de causis naturalibus non minus doctè quàm eleganter. Tradunt polypum cùm in terram recurrere, & calculos flagellis comprehendere conspicitur, ventorum (quanquam nondum flatum vllum animaduertere liceet) esse certissimum indicium. Cuius quoque rei rationem reddit idem in citato suprà opusculo Plutarchus. Falsum est brachia sua polypum rodere. A murænis autem metuere verum: quippe qui ab his infestetur, quas tamen ipse non possit, lubricitate sua continuo elabentes. Polypodis caput partim bonum est, partim item noxium. nam si illud edas, nihil dulcius: porrò somnum perdifficilem, visionibus horrendis & portentosis facere perhibetur. Quoquo modo coctum polypum, malum esse Platina asserit. Alij tamen nonnulli volunt polypos, si probè concoquantur, valenter alere, & Venerem vehementer ciere.

Polypi ventos indicātes

Polypum brachia sua rodere falsum. Polypi murænas metuunt. Polypus visiones horrēdas facit.

DE SEPIA, CAP. II.

Σηπία Græcis, Latinis Sepia, vesiculam è collo pendentem (ita enim appellant) habet, atro liquore, atramentum vocant, plenam. Hunc effundit per aquam dum se capi animaduertit, atque ita infuscata aqua absconditur. Homericos deos planè imitata, quibus atra subinde nubecula, hi quos seruatos volunt, belli discrimine subducuntur suffuranturque. Celsus sepiæ atramentum aluum mollire scribit.

Sepiæ astus.

DE LOLIGINE, CAP. III.

Loligo vnde dicta.

Loliginem à volatu dictam testatur Varro. Scribit Plinius ex Trebij Nigri sententia, tanta interdum multitudine è mari euolare loligines, vt nauigia demergāt. Idem tradunt de loligine, quod modò de polypo diximus: nimirum eam apparentem magnæ tempestatis indicium esse. Viles fuisse loligines ex eo constat, quòd Athenis in prouerbium

Loligo apparens tempestatis indiciū.

bium abiecit, Teuthide egere: est autem τεῦθις loligo, quod iis accommodabatur qui tanta laborabant penuria, vt vilissima quæque quærere & amplecti cogerentur. τεῦθις.

De mollium alimento, Cap. IIII.

MAλακόδερμα in vniuersum omnia sunt duræ carnis, & ad coquendum difficilia, exiguumque in se succũ salsum continent. Si tamen probè concoquantur, alimẽtum non paucũ corpori exhibebunt. Plurimum tamen hæc crudi succi gignunt.

Libri quarti, sectio nona, de chartilaginibus.

CHartilagineorum piscium cutis aspera est, ac noctu splendicans: ideoque nonnulli ἀπὸ τοῦ σέλας ἔχειν, hoc est, quia splendorem habeant, σελάχεια ipsa aiunt fuisse nominata. Aristoteles σελάχη & σελαχώδη appellat. Huius generis sunt pastinaca, torpedo, raia, leuiraia, squatina. σελάχεια.

De pastinaca, cap. I.

TPίγονα Celsus & Plinius Pastinacam appellant: nonnulli Turturem marinam interpretati sunt. Plinius idem nil in mari venenatius radio pastinacæ esse tradit, eãque ob causam abscissa cauda venditur. Gal. lib. de attenua. victu, solam torpedinem & pastinacam ex chartilagineis commendat. τρίγων. Turtur marina.

De torpedine, cap. II.

TOrpedo à Græcis νάρκη dicitur. Mirum equidem est torpedinem & pastinacam tantopere commendari, cùm vterque hic piscis absque dubio venenatus sit. Scribit Galenus mollem habere carnem ac iucundam: adhæc mediocriter per ventrem subire pisces hos, nec concoctu difficiles. Quam autem vim habeat torpedo, nemo nescit: nempe qua non solùm tangẽtes alligat, sed per ipsum etiam rete obtorpefacientem, grauedinem piscatorum manibus inducit. Ac narrant quidam periclitari sæpè, si quis, cùm viua elabitur, supernè interea manibus aquam agitet, vim ad manus remeantem, & tactum obstupefaciẽtem penetrare, aqua omni prius, vt videtur, mutata infectaque. De testudinis alimento variæ sunt auctorum sententiæ: alij enim eam cõmendant, improbant verò alij: ego planè cibis abdicandam

νάρκη.

Torpedo & pastinaca venenati pisces.

Torpedinis vis.

De testudinis alimento variæ sententiæ.

tum torpedinem tum pastinacam iudico. Quandoquidem vtriusque esus non leuem inferat corpori noxam, venenatæ & obstupefacientis suæ carnis ratione.

DE RAIA ET LAEVIRAIA, CAP. III.

RAia βάτος & βάτις, ab aculeorum asperitate à Græcis nuncupatur. Quæ autem caudam duntaxat aculeatam habent, nec toto corpore spinosæ sunt, λειόβατοι, id est, læues raiæ appellantur.

DE SQVATINA, CAP. IIII.

Squatinæ nomen vnde.

PIνη Græcis, squatina Latinis est, à squallore & cutis asperitate nomen accepisse videtur. Hac poliri solent ligna & ebora, Plinio teste.

DE ALIMENTO CHARTILAGINEORVM, CAP. V.

RAia, læuiraia, squatina, reliquaque eiusmodi duriora sunt & concoctu difficiliora, alimentique copiosioris quàm torpedo & pastinaca. Omnia tamen chartilaginea mediocriter nutriunt, vt quæ carne molli prædita sunt omnia. Cunctis quoque id commune est, vt quæ partes ad caudam sunt, mediis partibus, quæ chartilaginem quandam tabidam in se habere videntur, sint corpulentiores, id quod in torpedinibus præsertim videre est.

LIBRI QVARTI, SECTIO DECIMA, DE CETACEIS.

MAiores omnes marini pisces, quique animal pariũt, non ouum, cetacei dicuntur. Cete enim ad hos omnes generale nomen est. In eo numero sunt balenæ, phocæ, delphini, grandiores thynni & similes.

DE BALENA, CAP. I.

Balenarum magnitudo.

BAlena vulgò appellata vastissima est maris bellua. In Indico mari balenas esse quaternum iugerum, scribit Plinius. Balena pisciculum quendam magnitudine formaque gobij, foris quidem, auibus cùm horruere, propter asperitatem squammæ, similem, veluti nauis temonem sequitur: ducique se ab eo sinit non inuita. Ac ceterorum quidem pisces obuios confestim pessundat, hunc autem agnitum ore velut anchoram recipit, dormit vna, quiescẽte quiescit, progrediente progreditur, haud vsquam diu noctuque deserens:

Balena pisciculum sequitur.

hoc

hoc nisi facit, errare impingereque certum est. nam multæ periere.

De phoca, cap. II.

PHoca corio & pilis tecta est, in somno mugiens; vnde & vitulus marinus appellatur. Phocæ in sicco pariunt: paulatim deinde prouectis catulis gustandum mare præbent, mox reducunt. Id ita crebrò faciunt, dum addita fiducia fluctibus credere gaudereque videant. Phocæ coagulum vires castorei obtinere nonnulli tradiderunt.

Vitulus marinus.

Phocæ coagulum.

De delphino, cap. III.

DElphinus decem annis ad summam magnitudinem peruenit. Plinius multa obseruatione notatuque digna tradit de delphinis, cap. 8. li. 9. Apollini sacer est: nam delphini Apollinis aræ templaque multa per Græciam passim sunt. Nonnulli delphinum Marsoin ceu Marsuinum vocãt, quasi maris suem. Defertur autem ad nos marsuinus piscis cetaceus, qui in Oceano Gallico frequentissimè capitur. Eũ Plinij esse tursionem opinati sunt nonnulli. Verno ieiunio cùm piscis elixatur, suillæ vicem supplens. Marsuini porrò maiores delphini sunt: minores autem marsupas vocant. Duo enim genera delphinorum: alteri rostrum porrectius, & qua vertici committitur depressius, alterum minus suinũ. Genus hoc tursionem Plinij & Aristotelis Phocænam arbitramur.

Delphinus Apollini sacer.

Marsuinus.

Delphinorũ genera duo.

De thynno, cap. IIII.

THynnus piscis marinus est notissimus, qui, vt refert Iouius, mense Maio copiosissimè capitur, in freto Gaditano: nam id temporis ex Oceano Athlantico in mare Mediterraneum irrumpit, non paruo Gaditanorum quęstu, qui infinitam eorum multitudinem retibus extrahunt, cetariisque inferunt, saliuntque membratim dissectos, & in cadis asseruatos celebri mercimonio per omnem Europam diffundunt. Galli *Thonine* vocant. Thynnus æquinoctia sentit & solstitia: hominemque docet Astrologicis obseruationibus nihil opus esse. nam vbicunque hibernum occupauit solstitium, istic hæret intrepidus ad æquinoctium vsque eodem in loco manens.

Paulus Iouius.

Thynnus æquinoctia sentit.

De gladio et cane, cap. V.

GLadius è genere quoque est cetaceorum, rostro mucronato, quo naues sæpè defodit & demergit. Canes quoque in genus hoc referri debent.

Quale sit cetaceorum alimentum, CAP. VI.

CEtacea omnia duram, praui ſucci, & excrementitiam carnem habent. Quapropter ſale priùs condientes, ipſis vt plurimum vtuntur, alimentum quod ex ipſis in corpus diſtribuitur, & ſalitura tenuius efficiẽtes, eoque coctioni & ſanguini generando accommodatius. Recentior enim eorum caro, ni admodum probè concoquatur, magnam ſuccorum crudorum copiam in venis aceruat.

LIBRI QVARTI, SECTIO VNDECIMA, DE PISCIBVS CETERIS A GALENO OMISSIS.

DE AVRATA, CAP. I.

Sergius Orata.

AVrata à colore auri nomen accepit. Sergius qui primus penſiles balneas habuit, primus oſtrearia, in Baiano locauit, primus quoque ſaporem optimum oſtreis Lucrinis adiudicauit, quod ei quoque auratæ piſces chariſſimi fuerint, Orata cognominatus eſt. Galli auratam *Brame de mer* nuncupant. Hiceſius apud Athenæum ſapidiſſimam, oriq́ue omnium gratiſſimam aſſerit: plurimumq́ue alere. Xenocrates candidæ eſſe carnis auratam ait, ſolidam, condenſam, boni ſucci, facilis diſtributionis, alere, & non difficulter excerni. Aurata Lucrinam concham depaſta nobilior ex Martiali habetur.

Aurata lucrinam concham depaſta.

DE ABRAMIDE, CAP. II.

ABramis, quam Galli Bramam vocant, lacuſtris & fluuialis eſt. Huius caro candida eſt & mollis: alimentum præbet quale paluſtres piſces.

DE SPARO, CAP. III.

AVratæ ſimilis eſt ſparus: huius meminit Plinius libro 9. ſuæ hiſt. cap. 51. quem circa æquinoctium vernum parere ſcribit. Diphilus apud Athenæum ſparum acrem, carnis teneræ, non viroſum, non infeſtum ſtomacho, vrinamq́ue mouere tradit: in ſartagine autem frixum ægrè cõfici.

DE CANTHARO, CAP. IIII.

Scarabeus.

CAntharus, quem Scarabeum appellat Gaza apud Ariſtotelem (qui eum inter littorales retulit) ſtomacho quoque & is idoneus eſt, boniq́ue ſucci, facilè diſtribuitur. Alit quoque, & ad excernendum aptus eſt. Caro eius humidior paulò & mollior, coctura emendari poterit, addito

dito pipere, cinnamomo, zinzibere, & similibus aromaticis.

DE MAENA, CAP. V.

MAEnam Theodorus apud Aristotelem vertit Halecem & Haleculam. Piscis hic hieme candidus, æstate nigrior fit. Hicesius apud Athenæum mænas gobionibus succi bonitate præfert: verùm non tam ori suaues, minusq; aluo vtiles asserit. Halec & halecula.

DE SMARIDE, CAP. VI.

SMaris à Gaza Cerrus, à Plinio & Martiali Gerres appellatur. Smaridem eam mænæ esse speciem nonnulli existimarunt, quam λευκομαινίδα Græci nuncupant. Sale conditi palatum stimulant, & appetentiam prouocant. Mulieribus lactis copiam facere smarides cū fœniculo decoctas, aut cum ptissana sumptas scribit Plinius. Gerres. λευκομαινίς

DE BOCA, CAP. VII.

BOκα Speusippus mænis similem facit & smaridas: alij Bocam, Boopem alij, nonnulli etiam Vocam appellant.

DE ERYTHRINO, CAP. VIII.

ERythrinon Plinius & Gaza Rubellionem nuncupant. Aristoteles inter pelagios, Oppianus autem inter littorales reponit. A coloris rubedine nomen habet. Est de mulorum genere. In vino necatus iis qui inde biberint vini tædium affert. Erythrinus ori gratus, aluum sistit, duræ compagis est, ad nutriendum valet, & ad res Venereas excitandas, si quis vinum in quo suffocatus fuerit potet, aptus est. Rubellio. Erythrinus in vino necatus, vini tædium affert.

DE SALPA, CAP. IX.

SAlpa piscis est circa Ebusum Hispaniæ insulā frequens: obscœnus est & vilis, nec nisi ferula verberatum coqui potest. Salpæ pelagiæ acris sunt saporis, ori gratæ, difficulter corrumpuntur, ægrè quoque separantur, alunt, facilè excernuntur. At quæ in littoribus capiuntur, duræ sunt carnis, mali succi, & ori insuaues. Salpæ pelagiæ.

DE SPHYRAENA, CAP. X.

SPhyrænam Gaza Malleolum vertit: Sudis à Latinis vocatur. Piscem hunc describit Plinius cap. 11. libro 32. Diphilus & Hicesius apud Athenæum Sphyrænas vberius congris alere testantur; insuaues tamen & ori ingratas, nec adeò probi succi. Malleolus. Sudis.

DE ACV, CAP. XI.

Acus seu acicula à Græcis βελόνη dicitur. Dehiscente propter multitudinem vtero, parere tradit Plinius. Huius piscis meminit Philosophus libro nono de historia animalium, cùm ait: De nido Alcyones ambigitur, ex quanam materia componatur. Videtur autem ex spinis acus piscis constitui. Piscibus enim alcedo viuit. Humida est huius piscis caro, & difficulter conficitur, probum tamen succum gignit.

cap. 14. Ex qua materia Alcyo nidum suum construat.

DE SCOMBRO, CAP. XII.

Scombrus seu scomber maximè à Plinio commendatur, quòd ex eo laudatissimum conficeretur garum. Stomacho non admodum aptus est. nam in frequentiore cibo fastidium parit; alit, sed mali est succi: flatum gignit, scaber & difficilis est ad excernendum.

DE MOLLVA, CAP. XIII.

Molluam priscis incognitam fuisse non est dubium, Oceani incola est. Piscis est insigniter glutinosus, difficulter conficitur, succumque non ita probum gignit.

DE LAMPETRA SEV LAMPREDA, CAP. XIIII.

Lampetram seu Lampredam nonnulli galeorum generi adscribunt. Iouius murænam esse asserit, vt suprà capite de muræna adnotauimus. Nonnulli Lumbricum fluuiatilem, alij vermem marinum appellatunt. sic doctorum illustriumque virorum ingenia torsit lampetra. Verisimile fit, piscem hunc vilem fuisse, nec mensis lautioribus apponi solitum. Nullam enim eius mentionem à quoquam veterũ auctorum fieri comperio. Difficulter conficitur lampreda, succumque viscosum & glutinosum gignit. Quæ autem sit eius cocturæ & apparatus ratio, vide apud Platinam cap. 42. lib. vlt. de honesta voluptate.

Iouius murænam lampetram esse existimauit.

Lampreda olim vilis piscis.

DE ANGVILLIS, CAP. XV.

Anguillæ Græcè ἐγχέλυδες, ab anguium similitudine nomen acceperunt. Carnem habent mollem quidem & dulcem, sed quæ glutinosum & pituitosum frigidumque succum creet. Si quis anguillis copiosius vescatur, eum in vitæ periculum coniicit. Quo fit vt à medicis omnibus tum in sanorum, tum ægrorum cibis damnentur. deprauatis enim aquis nutriuntur: immò ex his oriri pluuio cæli statu

Anguillæ cibus periculosus.

qui-

quidam tradiderunt. Mali odoris vt plurimum sunt, limũque sentiunt, ac insuaues & muccosæ existunt.

DE STVRIONE, CAP. XVI.

Sturio non minus quàm lampreda doctorum virorum ingenia vexauit. Iouius, Silurum Ausonij: Hermolaus & Manardus, Athenæi hiccam: alij Tursionem Plinij. Rondeletus Acipenserem à Romanis adeò nobilitatum esse existimauit. Antiquis ignotum fuisse piscis genus hoc, ex eo quòd ne eius meminerit quidem, constat. Carnem habet candidam, duram tamen & quæ ægrè conficiatur. Crassiorem etiam succum gignit, stomachoque negotium facessit.

Sturio doctorum ingenia torquet.

Sturio antiquis ignotus.

DE ACIPENSERE, CAP. XVII.

Acipenser apud antiquos piscium nobilissimus habitus est. Plinius valdè miratur, quòd suo seculo nullo in honore fuerit, cùm tamen rarissimus esset. A quibusdam ἔλοψ vocatus est, alij Callyonymum, nonnulli Anthiã, quidam etiam Callychthim appellauere. Quanto autem in honore fuerit acipenser priscis, docet Macrobius in Saturnalibus, ex Plauto, Cicerone in libro de fato, & Sammonico Sereno, qui eum à coronatis ministris, cum tibiis in conuiuiis inferri consueuisse scribit. Stomacho idoneus est, succum dulcem gignit, alit, facileque excernitur.

ἔλοψ.

Acipenseris variæ appellationes.

Acipenser summo in pretio apud antiquos. cap. 16. lib. 3.

DE SARGO ET MELANVRO, CAP. XVIII.

Sargum melanuro similem facit Hicesius apud Athenæum. Melanurum autem Oculatam Gaza vertit. Plauto Ophthalmiam ab oculorum hebetudine dictam nõnulli tradidere. Surgi & melanuri sunt stomacho idonei, boni succi, & facilè distribuuntur. Alunt quoque, & ad excretionem apti sunt.

Oculata. Ophthalmia.

DE LATO PISCE, CAP. XIX.

Latus piscis à Græcis λάθος dicitur. Archestratus apud Athenæum Italicum commendat, suauem enim & in cibis gratum esse asserit. Regium piscem nonnulli vocant.

DE LVCIO, CAP. XX.

Lucium omnes ferè Lupum appellant: idque perperam, vt diligenter in suo de Romanis piscibus opere annotauit Iouius. Manifestè enim differt Lucius à Lupo. Est enim ex genere asellorũ, fluuiis aliisque dulcibus aquis peculiaris: sicuti mari callarias & aliæ species. Lupo alia est caro, color, & facies. Adhæc lupus ipse non latrocinatur, sed

Lucius non est lupus. Lucius est de genere asellorum.

latrinatur, vt suprà diximus, cùm de lupo ageremus. Lucius autem sui generis luciolos vorat, quos integros aliquando in lucij ventre conspeximus. Narrant (quod mirum est) lucij vulnus sponte coalescere & celerrimè. Nonnulli id tincę affricatui ascribunt, quo tanquam sarcocolla componi vulnus asseuerant. Inter amnicos primas nunc tenet, olim vilis, & nullo in honore mensarum: reliquis enim minus insalubris habetur.

Lucij vulnus statim coalescit.

DE TINCA, CAP. XXI.

TInca nullam in lautioribus mensis dignitatem habuit. Improbi enim succi est & glutinosi, & ægrè conficitur. Cœnosis enim locis & limosis sponte prouenire quidam scripserunt.

DE CYPRINO, CAP. XXII.

Carpa seu Carpus.

CYprinus is piscis est, quem nos Carpam, nonnulli Carpum, alij Carpenam appellant. At carpio pisciculus est quem Benaci lacus incolæ aureis arenulis victitare tradunt. huic autem vni lacui peculiaris est. Pituitosum & frigidum succum gignit carpus. Est enim eius caro aquea: vnde nonnulli carpenas biduo saliunt.

Carpio distinctus est piscis à carpo.

DE TROTTA VEL TRVTTA, CAP. XXIII.

TRottam vel Truttam, quasi trusilem à trudendo dictā, Iouius credit de luporum genere esse: in quo manifestè fallitur. Lupi enim carniuori sunt, dentesque habent: truttæ verò minimè. Hæ variè parari solent: quouis autem modo edatur, difficilis est concoctionis.

DE SALMONE, CAP. XXIIII.

SAlmo flumina è mari subit, in quibus melior & præstātior reddi creditur. Virus enim illud marinum exuunt. difficulter concoquitur, flatus gignit & crassum succum. Mirum est piscem hunc à Græcis & Latinis penè omnibus omissum. Nonnulli Salmonem truttam esse fluuialem asseruerunt.

DE ALOSA, CAP. XXV.

OPίσσα Græcis, à Latinis Thrissa seruato Gręco nomine, & Alosa vel Alausa nuncupatur. Marina insuauior est. Quæ verò amnes subit, nitidior & sapidior est. Vtraque tamē̄ difficulter concoquitur, & in succum vertitur: stomacho infesta est, & exiguum alimētum corpori præbet.

Alosa duplex

DE RANA, CAP. XXVI.

Vltima sed nostros non accessura lebetes,
Ni saliat, putris Rana parabat iter.
Nolumus, succi est pluuij & limosa maligni
Irata est, & adhuc rauca coaxat aquis.

RAnas inter pisces numerandas esse negat Platina. Quia tamen vitæ partem maximam in aqua viuit, aut certè in terra humida (est enim ἀμφίβιον animal) illam inter pisces collocabimus. Mirũ, inquit Plinius de ranis agens, semestri vita resoluuntur in limum nullo cernente, & rursus vernis aquis renascũtur, quæ fuere natæ, perinde occulta ratione, cùm omnibus minus id eueniat. Ruberæ & quæ in terris degunt, vt noxiæ reiiciendæ sunt: aquatiles autem præstantiores sunt. Bolo captæ meliores esui putantur: à serpentum enim morsu attrectatæ & læsæ, bolum attingere non putantur. Solis posterioribus grata est & placet. Coxulas enim pelle detracta, diem & noctem in aqua natare sinimus: farina deinde aspersa, in sartagine friguntur: tum demum asperso apio, aut aromatibus, aut fœniculi floribus, aut cum salsa viridi mensis inferuntur: placebit autem magis cum aromatibus, minusque nocebit. Ea enim valent succum humidiorem, & pluuium corrigere & emendare. Ceterùm, rana (vt id obiter quoque adnotemus) solito vocalior pluuiam denuntiat. vnde Virgilius:

Rana animal ἀμφίβιον.

Mirum de ranis. cap. 51. lib. 9.

Coxulæ ranarum duntaxat esui sũt.

Rana solito vocalior pluuiam nuntiat.

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

Plutarchus in opusculo causarum naturalium inquit, Ranæ cùm pluuiam expectant, præ gaudio mirè vocem attollunt: quasi scilicet hæc condimentum palustris aquæ, eiusdemq; seminarium quoddam dulcedinis existat. Id autem futuræ pluuiæ signum Aratus indicat his verbis:

Aut cum progenies miserabilis esca colubris,
Ranarum patres ex vndis voce coaxant.

Plura sunt pisciũ genera, quorum formas seu figuras, vsum in cibis describere infiniti esset operis, & immensi laboris. Et certè pisces omnes antiquitati & posteritati notos fuisse falsum est. nã hos omiserunt, illis figuram & formã minus decentem assignarunt. Inde tot inter auctores tũ grauissimos, tũ doctissimos ortæ controuersię. Piscium ergo tractationi, his contenti, nunc finem imponemus.

LIBRI QVARTI, SECTIO DVODECIMA, DE CONDIMENTIS.

De sale, cap. I.

Nunc riget, ante liquor fuerat sal, siccat & ardet,
Cur tamen epotus corpora fluxa ciet.
Gratior albus erit, ruber est vrentior, omni
Laus sale non posito mensa nec olla sapit.

Sal nomen unde. Sal per metathesim dictus videtur à Græca dictione ἅλς, quem Panaceam Lucretius à remediorum multitudine appellauit. Sal omnis aut factitius est, vt palustris, aut marinus, aut gignitur, vt fossitius. Salis differentiæ. Vtrumque pluribus modis, sed causa gemina. Salis facultas & vires. Sales autem omnes siccæ vehementer & adstringentis sunt potentiæ. Disarius petenti Auiano, qua ratione carnem ad diuturnitatem vsus admistio salis seruet, Qua ratione sal carnes diu seruet. satisfaciens apud Macrobium ait, Salem natura siccum esse & calidum: & fluxum quidem corporis calore contrahere, humorem verò siccitate vel coercere vel exsorbere. Sal humiditatē absumit, eiusque rei indicium. Certè humorē sale differri siue absumi, fit hinc cognitu facile, quod si duos panes pari magnitudine feceris, vnum sale aspersum, alterum sine sale, inuenies indigentem salis pondere propēsiorem, humore scilicet in eo per salis penuriam remanente. Salis in salsamentis vsus. Sed & in salsamentis sale vtimur, quod quidquid in corporibus humidum est depascant, suaque mordacitate subducant. Sales vsti. Sales verò vsti magis exedunt. Salis multæ aliæ sunt vires: adstringit enim, abstergit, expurgat, dissipat, reprimit, & extenuat. In marino sale eligendus est candidus, æqualis & densus. Prima est autem in mensa salis vtilitas, vel potius necessitas: vtpote cùm absque sale insipida omnia & insulsa videantur.

De aceto, cap. II.

Vlcera si ventris vel pectora siccet, aceti
Commoditas tamen est non tibi parua coque.
Frigore si poterit neruis nocuisse, rependit
Damna, potest ægro si reuocare tamen.

Acetum quid. Culpatum vinum acetum dicitur: vinum enim inclusum vase vacuo, nec probè occluso, statim in aceti naturam

turam migrat. nam aër vini potentiam ex vacuo elicit. In summa, acetum aliud nihil est, quàm acre vinum: vnde Gallis *Vinaigre* dicitur. Aceti facultas admodum controuersa est. Scribunt nonnulli aceto nihil frigidius esse. Solum enim hoc ex liquidis omnibus crescentem flammam violenter extinguere, dum suo frigore calorem elementi vincit. His subscribens Dioscorides, acetum refrigerare & adstringere pronunciauit: alij verò temperamento calidum esse asseruerunt. Concedunt quidem propriam vini caliditatem perdidisse, verum ex putredine aliam quandam assumpsisse contendunt. Neque verò vt frigidum sit, iam niue frigidius: neque vt calidum, omnium calidissimum pronunciandum est. Siquidem nisi iuxta medium foret, ac longè ab extremorum vtroque dissitum acetum, non tanta incidisset de eius facultate controuersia. Ergo acetum mixtæ est potentiæ, refrigerãtis scilicet & calidæ, vtrinque tenuium partium: exuperat tamen frigiditas. Desiccandi quoque facultatem habet, eamque in tertio ordine: dissipandi præterea & discutiendi vi præditum est. Terra enim eo respersa spumat: quin & saxa quoque quæ ignis non coxit, infusum statim rumpit. quod Hannibal ad Taurinos saltus in difficili Alpium transitu fecisse legitur. Porrò aceti vsus in ratione victus est plurimus: nam ex eo præstantissimum condimentum obsoniis accedit, adeò vt multa sine aceto vesca nõ sint: sique aliquis eo non vtatur, maximè læditur: nõ secus quàm si sine sale cibis vesceretur, cui sal conueniret. Desiderium edendi instaurat. Hinc fit, vt in cibis primæ mensæ eo plurimum vtantur. Ideoque Lacones quum acetum & salem coquo dederant, reliquum in ipsa victima quærere iubebãt. Picrocholis omninoque biliosis naturis vtilius est acetum, quàm melancholicis. Amara siquidem dissoluuntur, desciscuntque in pituitam, cùm ab aceto in sublime attolluntur. In calidis quoque ægritudinibus, vt febribus ardentibus, quique æstate siti laborant, ac in graui æstu accommodatissimus est potus ex aceto & aqua ad tollẽdam sitim. Melancholicis autem aduersissimum est, quod bilis atra ipsa acida sit, cùm in corpore præter naturam habente sincera & impermista fuerit. Neruos quoque lædit: ideoque paralyticis, dolore articulorum laborãtibus inimicum est, quod viam malis humoribus ad neruos & iuncturas faciat. Plura verò de aceto, eiusque facultatibus & viribus, lege

Aceti facultas controuersa est.

Acetum mixtæ est potentiæ.

Hannibal aceto saxa rumpens.

Aceti vsus.

Lacones acetum & salem coquo exhibent.

Acetum quibus vtile, quibus item noxium.

ge apud Galenum toto ferè libro 5. de simplic. medicam. facultat.

DE VVA IMMATVRA, CAP. III.

Quid miseræ amplecti caram mihi profuit vlmũ,
Tam subitæ mortis cùm meus extet amor?
O felix labrusca tuis seruata racemis,
Quàm minor est multo sors mea sorte tua.
Non caleo, dulcisque mihi non insitus humor.
Digna fouere fui pectora, nunc noceo.
Adstringo, ingluuiem repeto, sum noxia bili,
Malueram Baccho deditus esse sapor.

Vuę immaturæ quæ. VVæ immaturæ eæ intelligendæ sunt, quæ acerbæ vel austeræ sunt, quæ etsi in ipsa vite maturitatem adeptæ sint, vel suspensæ diutius fuerint, mutationem in dulcius assequi non possunt. Huiusmodi vuæ frigidiorem succum habent. ab earum esu abstinendum prorsus esse scribit Galenus. Adstringunt quoque, communi austerorum & acerborum omnium ratione. Ex eo vuarum genere fit omphacium seu acor, quo contra venena, & in condiendis obsoniis commodè & salubriter vtimur. Aestuanti & sitibundo à bile stomacho aut hepati mirè prodest. Galli Veriutum vocant. Calores aliorum esculentorum temperat, ventriculum roborat atque recreat, iecurque calidius.

Omphacium seu acor.

DE CINNAMOMO, CAP. IIII.

Iam coquus exposcit redolentia Cinnama, sordent
Omnia ni properas, nec sapit esca liber.
Hæc oculos stomachũq; acuũt, tremulosq; lacertos
Sistunt: his sicca est nec pituita fluit.
Artubus hæc vires iam torpescentibus addunt,
Et iecur & renes putreque pectus alunt.
Tædia vexatæ matricis & ilia tollunt
Turgida, vesicæ prouida languidulæ.

Tot bona cùm pariant, mentibus credidit aurum:
Posse dare, hinc nimiũ Cinnama iactat. Arabs.

Cinnamomum fruticis breuis Darseni nomine cortex est; in quo dos omnis est. Huius præcipuè bonitas in summo ad longitudinẽ palmæ. Secundas tenet pars illi propinqua, vilissimũ existit quod radicibus est proximũ. In Zeilam plurimum nascitur cinnamomum, & in Muthut vna ex Moluchis. Inter ipsius veri cinnamomi genera, aliud in mõtibus nascitur, non tenue nec longum, magis rubens colore: aliud aliquantulum nigricat, & tanquam fibris quibusdam intertextum: aliud adamussim album reperitur, non durum, fragile, & parua radice: est & aliud quoddã casiæ rubenti simile, lene & odoratum. Præstantissimum omnium est, quod ab indigenis Mosyllon dicitur, colore cinereum, virgultis gracilibus, frequentibus ramusculis vehementerq́ue odoratum. Optimum autem cinnamomũ consequi vix, ac ne vix quidem quisquam potest, nisi repositum ab imperatoribus intueatur: quale autem illud esse debeat, vide apud Galenũ libro de Antidotis primo. Cinnamomum autem calidum est & siccum: concoctionem iuuat, & stomachum confortat, eiusq́ue humiditates desiccat, pituitæ distillationes cohibet. In tremore oleum ex cinnamomo paratum, summũ est remedium. obstructiones hepatis aperit: renum obstructionibus & apostematibus medetur. Partes denique omnes corporis à putredine vindicat. Comestum cinnamomum, aut si ex eo collyrium fiat, caligines oculorum discutit, crassasq́ue eorundem humiditates liquefacit & discutit. Infinitos penè in medicinis vsus habet.

Cinnamomũ cuius arboris cortex.

Cinnamomũ vbi nascatur.

Mosyllon.

Cinnamomi facultas & vires.

De zinzibere, cap. v.

Ignitum capiti & pituitæ zingiber ingens
Antidotum, frigent cum tua membra, cape.
Huic tamen innatus si non prius aruit humor,
Vix satis esse potest igne tepente sibi.
Hoc oculis aufert tenebras, huic vuida debent
Omnia, ne putreant zingiber edocuit.
Hoc odisse Venus potuit, sed maxima ventri est
Commoditas, siccat, nec minus ille cacat.

Zingiberis qualitas & vires.

ZIngiber calidum & ſiccum eſt, & cùm vehementis ſit caloris, eum tamen non tam citò & primo occurſu prodit vt piper: nam & craſſioris eſt ſuſtantiæ quàm piper, & aquoſam, exctementoſamque humiditatem habet: humiditates ſuperfluas è capite elicit: oculorum aciem humoris profluuio hebetatam reſtituit: ſtomacho & hepati frigido ſuccurrit, humiditates in ſtomacho contentas diſſipat. Eius nimiam vliginem ex eſu fructuum viridiũm contractam exiccando concoctionem iuuat: aluum leuiter emollit. In ſummã, piperis viribus reſpondet. Venerem proritare multi tradunt.

DE PIPERE, CAP. VI.

Ardet & in neruos, glutinataq́; phlegmata fertur
Sic Piper, vt nullum ſiccet aroma prius.
Exacuit ſtomachum mollito ventre ſuperbit,
Hoc caueas, feruet ſi tibi bile iecur.
Corporis huic minimi numero laus dãna rependit,
Plura mouent aluum, meiere pauca iubent.

Piper longũ.

PIper quod nuper pullulat, longum vocari ſcribit Galenus, quem ſecuti ſunt Aëtius & Aegineta: de eo tamen nec immeritò ambigitur. Et certè nonnulli oculata fide referunt, duas piperis ſpecies duabus ex arboribus diuerſis longum fructum ferre & rotundum. Rotundi ſpecies tres à regionibus, Indum, Taprobanum & Aethiopicum: ab ætate duæ immaturum minus nigrum, & maturum nigrum ac rugis criſpum. Vtrumque autem piper efficaciſſimè calefacit & exiccat, ferè ad quartum vſque gradum. Neruos ita calefacit piper, vt eo munere facilè cetera vincat. Pituitam craſſam tum digerit, tum etiam elicit è capite quidem, ſi cum vua paſſa maſticatur. Concoctiones iuuat, & iuſculis inſperſum ſtomachum confortat, appetentiam inuitat, & cibi auiditatem facit. Bilioſis nocet, ſtatim enim hepar & ſtomachum concalefacit: quam ob cauſam eius vſus in hieme magis quàm æſtate laudatur. Paucum piperis, inquit Auicennas, vrinam prouocat, & multum eius ſoluit ventrem, ſecundum contrarium ſcammoneæ. Flatus alui reſoluit, & dolori eius pungitiuo plurimum confert. Potum cum recentibus lauri foliis, tormina diſcutit.

Duæ piperis ſpecies.
Rotundi ſpecies tres.
Piperis differentiæ ab ætate duæ.
Piperis vires.
Piper quomodo ventrem & vrinam ſoluat

DE

De croco, cap. VII.

Fama vetus taceat, cedant pulmenta Luculli.
Cœna coronata est plenior ista Croco.
Hic Cilices redolent, ignita cacumina florum.
Rubra ferunt cordi gaudia summa tuo.
Si mala sunt capiti, segnes ducentia somnos,
Illa decor stomachus tristeque pectus amant.
Si bibit ista vorax poterit torpere palatum,
Ieiunæ hæc verita est sedula causa famis.
At ventrem oblectant, vuluā reserantq; tumētē.
Hæc ede, si risus expetis aßiduos.

IN croco magna est caliditas: in secundo enim calidorū ordine collocatur, exiccantium verò primo. Habet etiā nonnihil acerbitatis: prætereà maturandi virtute pollet, leui illa adstrictione nonnihil adiuuante. Croci vsus moderatus cordi, hepati, pulmoni, pectorique prodest. capiti autem nocet, eiusque dolorem creat, somnū prouocat, sensusque obtenebrat & turbat. In potu elegantiore colore corpus exhilarat. Quidam tradunt drachmis tribus ex aqua potum crocum venenum esse, & subitò necare; nec id absque ratione. Immodico enim gaudio & risu hominem necat. Secundis etiam suis qualitatibus idem ipsum præstat: aperit enim laxatque viam spiritibus, ita vt abire & euolare illis sit facile. Appetitū deiicit crocus, nauseamque facit; sed stomachum sua caliditate & stypticitate roborat. Potus crocus partum accelerare creditur.

Croci qualitas.

Croci vsus.

Crocus drachmis tribus potus, venenum.

Pulmenta Luculli.) Lucullus vir clarissimus Romanus preclaras res gessit. Hic, vt refert Athenæus, cùm Romam post expeditionem Ponticam rediisset, in qua Mithridatis copias ferro & fame afflixit, eumque regno suo Ponto expulit, quē rursum cum Tigrane rege Armeniæ subueniente, magna felicitate superauit, ad vitam sumptuosam & elegantem se cōtulit. Tantas enim opes sibi parauerat, vt ædibus & prætoriis extruendis, hortis & cœnationibus amœnissimis, incredibilique sumptu paratis, & bibliotheca insigni vtriusque linguæ libris referta, atq; omnibus obuia & patenti, ope & bello

quæsitas conterere non potuerit, cùm interim quotidiano epularum apparatu, in prouerbium venerit.

DE NVCE MVSCHATA, CAP. VIII.

India odoratas & crasso rore rubentes,
Cùm tamen exurant, dat tibi larga nuces.
Hæ stomacho, iecori, vitiato spleni & ocellis
Subueniunt. bruma si modò læsa dolent.
His bene olent, & vix cōtacta labella famescūt,
Vesica his patula est, has fluida aluus amat.
Quàm malè nux dicta est, matronæ nobile munus
Glans muschata datur, cui malè vulua tumet.

Nux muschata vbi nascatur.

NVcem muschatam nobis India quotidie mittit. Nascitur verò potissimùm in Bandum Moluchorum insula, persici folio. Tota dum recens est, succo pingui & oleoso madet, sic vt in vnguentum exteri possit: ea iucundissimum spirat odorē, ita vt cum cinnamomo de odoris suauitate certet. Oris odorem commendat. Iam obsoniorum condimentis accommodatur, quæ suo sapore commendat; ita vt nullum iam condimentum sine hac nucula paretur. Calida est & sicca ferè ad tertium gradum vsque. Hepar confortat & roborat nux Myristica, splenem & stomachum, eiusque præsertim orificium, distendentes stomachum flatus discutit: lienis incrementum reprimit: ciborum concoctionem adiuuat: appetentiam inducit, stomachum & hepar fouendo. Inter cetera quoque visui amica est, quem mirum in modum confortat, immò hebetatam oculorū aciem acuit, constringit, alicuius enim stypticitatis est particeps, qua aluum adstringit, vrinam prouocat, atque difficultati vrinæ salutare remedium est. In summa, eadem penè vis quæ Garyophyllis.

Nucis muschatæ vsus in cōdimentis.

Nucis muschatæ qualitas & vires.

DE GARYOPHYLLO, CAP. IX.

Torrida si lucus Garyophyla donat odores,
Indicus vt tibi det, cur terit ista coquus?
Deiectum reparant stomachum, his tenebrosa re-
Lumina, calfaciunt cor gelidūque iecur. (lucent

Inde

Inde volens munus te nobile vincere, cedant
Lutea & unguiculis sint ea lecta tuis.

GAryophylli arbor inuenitur frequens in Moluchis insulis, vnde garyophylli asportantur: potissimum verò in tribus his, Tidor, Terenati, & Macchiam. Caudici crassitudo quanta humano corpori, cortex oleæ, folium cinnamomi. Multum fruticare eam tradunt, confertos flores in summis prodire surculis, denos & vicenos, oblongos, lato capite, cristato, atque in stellæ modum coronato aut radiato. initiò virides, posteà albescere, tum flauescere: postremò in fructum excrescere, tumidum intus osseum tripartitum, buxeo colore, corio nigro tectum. Anthophylla vocant Apothecæ. Bis in anno leguntur, Decembri & Iunio: quarto quoque anno vberior, liberiórque prouentus triennio vacante vindemia, ita demum efferari atque degenerare. Veteribus ignotũ fuisse videtur garyophyllum: huius enim nec Dioscorides nec Galenus vllam in censu simplicium mentionem fecerunt. Paulus Aegineta garyophylli quidem meminit; hunc tamen minimè agnouisse ex eius historia constat. Sic ille scribit: Garyophyllum nuci folium etiamsi hâc non habet naturam quam nomen prętendit: sed ex India flores arboris cuiusdam festucacei sunt, & nigri longitudine pollicari, acres, odorati, & subamari, calidi & sicci quodammodo in tertio gradu: optimum, & multis pharmacis commodissimum. At garyophyllus fructus est, non flos. Plinius quoque granum simile piperi tradit maius & fragilius. At garyophyllum neque granum est, neque vlla in re piperi simile. Itaque minus notum fuisse garyophyllum, Plinio ex eius historia constat. Prolixior in eo fui, quòd ab antiquis omissum, aut ignotum fuisse garyophyllum, ex his quæ diximus satis constet. calidus autem est & siccus in tertio ordine: iecori, stomacho & cordi auxiliantur garyophylli: contractam humore nauseam leuant: halitus grauitatem emendant, stomachum roborant: concoctiones iuuant, caligines oculorum tollunt, & visum exacuunt: obstructiones hepatis reserant: Venerem quoque stimulare creduntur.

Garyophylli arbor vbi frequens, eiusq; historia.

Garyophyllũ antiquis incognitum.

Garyophylli qualitas & vires.

DE OLEO OLIVARVM, CAP. X.

Pingue oleum mollit ventres, humetque calenti

Temperie, & pingui fert alimenta cibo.
Hoc sine nil condita sapit lactuca: sed vnde hoc,
Insipidum cùm sit deijciatque famem?

Oleum quid. OLiuarum liquor oleum est, ipsumque simpliciter primario Oleum dicitur: reliqua verò per translationem. Oleum ex oliuis bifariam exprimitur. Exprimitur autem oleum interdum ex vuis immaturis, alias verò ex iis quæ ad extremam & absolutam maturitatem deuenerunt. Omphacium. Illud omphacium vocant, quod natura sua, Auicenna teste, frigidum est & siccum in primo: rufus tamen ei humiditatem inesse scribit. At quod ex maturis oliuis expressum est oleum, ad caliditatem temperatam & humiditatem vergit. Hãnibal corpora militum hieme cur oleo inunxerit. Vnde Hannibal in Romanos ducturus acies ad Trebiam frigida hieme militum corpora ad leuitatem & robur inunxit, & vicit. Præstat recens odoratũ, & quod mordicationem non sentiat. Stomacho vtile est quòd adstringat, ventrem mollit. Hoc oleo lactuca & ceteræ herbæ quæ Cur oleraquę cruda manduntur, ex oleo mandi soleant. crudæ manduntur, condiri solent, vt eorum frigiditatem contemperet. Potum ieiuno stomacho, lumbricos necare, aut è ventre pellere traditur. Ex aqua calida potum, vomitu Olei vires. venena fugare creditur. Oleum vt pinguia omnia famẽ de- Oleum appetentiam deiicit. iicit & appetentiam, vt scribit Galenus exponens aphorismum 21. sect. 2. His, inquit, qui canino appetitu laborant, cùm ad prandium accedunt, primùm offerre oportet pinguia edulia, atque, vt ita dixerim, oleagina, & alia quæ ex plurimo oleo parantur.

DE MELLE ET SACCARO, CAP. XI.

Ignea vere legas, & mella nitentia succo
Subrufo, hiberno tempore lecta mala.
Dulcia sint, somnis blandum lenimen, & imo
Pulmoni, turges si tamen illa time.
Hæc stomachum reparant, hæc à putredine fœda
Omnia tutantur: gloria magna apibus.
Sed nihil aut modicum hoc ventri, mirabile maius
Quod nocet educunt, quod iuuat illa tenent.

Saccara

Saccara grata magis tibi dulcis arundo ministrat,
Liber adi, hic nocuæ nec timeantur apes.
Cumque minus caleant, minimũ ſiccata videntur,
Omnia cara, mihi ſunt meliora noua.
Pectoribus, ſtomacho frigenti aptiſsima, mella
Si minus abradunt, ſunt magis apta gulæ.
Lac, dulces fructus, mel, pluraque dulcia portas,
Nec liber es ſapidus, plurima amara tenes.

MEl liquor eximius dulcis eſt notitiæ vulgatiſſimæ. Mellis non parua habetur differentia: nam quod vitiatum eſt, tanquam mali odoris, guſtuque aliam qualitatem admixtam referens, mel dici non debet. Sinceri & vitio carentis mellis diſcrimina hæc ſunt, plus minúſue dulcedinis & acrimoniæ in ſe habere. Mel verò aliud à plantis, aliud ab animalibus ſecernitur. Eſt enim mel aërium ſiue roſcidum, quod à Barbaris Manna vocatur: cuius generationem abundè exponit Galenus libro tertio de alimentorum facultatibus: eſt & aliud mellis genus ab apibus elaboratum. Mel præſtantiſſimum eſt, quod dulciſſimum exiſtit, atque acerrimum, colore verò pallidum, conſiſtentia neque craſſum, neque concretum, neque valdè dilutum; ſed vnitum in omni parte & tenax, ita vt ſi eius particulam digito ſubſtuleris, & defluere permiſeris, ſibi ipſi continuum extendatur, & perinde ac viſcum non abſciſſum, non in particulas diſſectum deſcendat. Mel, inquit Galenus libro primo de Antidotis, quod optimum eſſe perhibetur, dulciſſimum eſt & acerrimum, eo quod mellis natura acrimoniam dulcedini iunctam habet: hiſque duobus excellere debet præſtantiſſimum mel: & primæ quidem optimi mellis notæ ex hiſce ſumuntur. Secundæ verò ex accidentibus colliguntur naturam eius conſequentibus, colore, odore, & corpore. Colore namque luteum ſit mel oportet, corpore verò neque craſſum neque concretum, ſed vniforme totum: atque ita tenax, vt ſi digito particulam ex ipſo ſuſtuleris, defluereque permiſeris, perinde atque viſcum deſcendat, non cæſim, non fruſtatim. quanquam ob iſta mel optimum quidem non eſt, ſed cùm ſuapte natura optimum eſt, tum hæc ſe

Mellis diſcrimina.

Mel duplex. Mel aerium ſeu roſcidum.

Mel præſtantiſsimũ quod

Optimi mellis notæ.

consequentia signa semper habet, ipsumque idcircò optimum esse ista significant. Præstantissimũ est mel Hymettiũ, Tusinum, & vno verbo Atticum: quod consequitur id, quod ex insulis Cycladibus aduehitur. Fit quoque in Asia in colle quodam mel optimum inter Pergamum & Elæam vrbem maritimam sito, thymo scatente, in quo apes mel optimum reponunt. Atticum mel, inquit Ruffus libro secundo de ratione victus, commendatur, estque celeberrimum: ac cetera omnia ad huius comparationem nihil esse censentur. At ego neque etiam omne id quod ibi conficitur laudo, existimoque alibi etiam inueniri, quod bonitate & virtutibus præstet. Et in primis quod in Marathone fit, pessimum est, non quidem Hymettio comparatum: siquidem Hymettium est præstantissimum: sed etiam vt alio fit inferius. Est etiam malum Milesium, & id quod ex Aphina, quodque ex Sicilia comportatur: sed præter Atticum bonum est mel Chium, Syrium, Scythicum & Siphnium; & quod aliundè aduehitur ex multis Cycladibus insulis: & Siculum, Hyblæum, & Creticum & Bœoticum, quod Oechaliæ gignitur. In vniuersum autem laudatissimum mel in iis locis conficitur, in quibus thymi & aliarum quarundam herbarum & fruticum calidi & sicci temperamenti plurima est copia. Mel desiccat & calefacit in secundo ordine: maxima etiam & insigni abstergendi vi pollet. Sumptum à calidis corporibus, facilè in bilem conuertitur: ideoque florentibus ætate, & calidis naturis inimicum est. Senibus autem ac in vniuersum frigidi temperamenti corporibus mel accommodatissimum est, quod decoctum minus acre mordaxque efficitur, proptereaque magis nutrit. Eadem ratione hiemis tempore quàm æstate magis conuenit mellis vsus. quum enim calidum sit & siccum, ac pro gustabili, quam obtinet qualitate, familiare, in iis qui tanto moderato frigidiores sunt, quanto id calidius, conflato ita excessus vtriusque complexu moderato temperamento par est inde sanguinem generari. Coeunte verò in idem gemino temperamento, mellis videlicet, eiusque qui assumit quod in melle inest dulce, in bilem vertatur necesse est, scilicet idem hic perpessum, quod foris ignis potentia plus iustè decoctum patitur. Mel improbius coctione melius reddetur. Democritus semel interrogatus quonam pacto & inof-

Mel Atticum

Mel in Marathone pessimum.

Mel in quibus locis laudatissimum.

Mellis facultas.

Mel quibus naturis vtile. quibus contrà noxium.

Democritus

inoffensa valetudine homines, & longiore æuo vitam prorogarent, respondit: Si externa oleo, interna melle delinantur. Mellis inuentionem Plinius & Diodorus Aristeo Atheniensi assignant. Ceterùm, si quod mel amarum est ceu Sardoum, clarum est & ipsum mistæ esse facultatis, tanquam si nostrum quispiam ei absinthium admiscuisset. Mellis in medicina vires, vsumque varium, lege apud Dioscoridem, Plinium, Galenum, libro primo de Antidotis, multisque aliis in locis. Sacchar, inquit Galenus libro septimo de simpliciũ medicamentorum facultatibus, quod ex India atque felici Arabia conuehitur. In calamis, vt aiunt, concrescit: & ipsum est mellis species, minus certè nostrate dulcius, sed adsimiles ei vires obtinens, quod ad abstergendum, desiccandum & digerendum attinet. Porrò quatenus nec inimicum stomacho est, ceu nostras, nec sitim afferens, eatenus ab illo substantia differt. Dioscoridi quoque saccharum concreti mellis genus est, quod in India prouenit, & Arabia felici in arundinibus inuenitur: salis modo coactum est, dentibus vt sal fragile, aluo idoneum, & stomacho vtile, si aqua dilutum bibatur. Rarum fuit nec planè cognitum Galeni seculo: nunc instrumentum habetur nitidioris vitæ, nullumque magnificum epulum, ne quotidianus quidem victus sine saccharo placet. Recentiores Græci calidum & humidum saccharum fecerunt in primo abscessu. In insula sancti Thomæ cannarum sacchare arum fracibus sues saginari commemorant. Quibus tanta carnibus apparatur commendatio, vt & nulla gallina prędicent inferiores, & vulgo ægrotis exhibeant. Ibi singulis mensibus arundines ferunt: quinto mense maturæ sunt: tum secantur tempestiuæ, moluntur, premuntur ad succum. quod reliquum est, datur, vt diximus, altilibus porcis. Saccharum Arabes Zucchara vocant, Indi proxima voce Iagara. Veri Zucchari species duæ, vna è cannis, altera ex herba. Est & aliud ex arbore Indica, quæ vocatur Haoscer: cuius meminit Serapio in libro de simpl. Ex cannis duobus habetur modis: namque vel exprimitur, ac decoquitur ad candorem & spissitudinem, aut spontè prodit ex arundine: quemadmodum ceteræ arborum lacrymæ. Verisimile fit, veteres saccharo solùm vsos in medicinis: nulla enim ab his in obsoniorum tractationibus de saccharo fit mentio. Caruere, in-

Mellis inuentio.
Mel amarum

Sacchar mellis species Galeno.

Dioscoridi saccharum quid.

Rarũ saccharum Galeni seculo.

Saccharum calidum & humidum.

Zucchara.
Veri zucchari species duæ.

Sacchari vſus in condimẽtis inquit Platina, illi quidem magna voluptate cùm nihil ex his quæ eſui dantur, tam inſipidum ſit, quod ſaccharum nõ condiat, & palato oriq́ue gratum non efficiat: vnde illud crebra vſurpatione natum prouerbium, Nullum edulij ge-
Sacchari vires nus addito ſaccharo inſipidius reddi. Probè alit, ſtomacho prodeſt, eius exaſperationes ſi quæ inſunt, lenit. Dioſcorides veſicæ & renibus auxilio eſſe ſaccharum ſcripſit, illitum ea diſcutere, quæ tenebras oculorum pupillis offundunt.

HVGO.

HVGONIS FRIDÆVALLIS SAMPAVLINI, DE SANITATE TVENDA,

LIBER V.

PRÆFATIO.

SVPERIORIBVS *libris ciborum omnium rationem abundè exposuimus: superesse videtur, vt de potu nonnihil etiam dicamus. Quæ tractatio ab eius vsu auspicanda venit: deinceps potuum genera distinguenda erunt, & singulorum vires explicandæ. Qua absoluta tractatione, de assumendorum ciborum ordine, quantitate & mensura, ordine differemus. Ergo de potu dicamus, & primùm quis sit eius vsus. Galenus in arte parua distinguens ea quæ necessariò corpus alterant, inter ea potum cibumq́; connumerat. Cibi enim ac potus naturam aduentitiam efficiunt, maximè quidem in ventriculo, cum hoc verò & aliis partibus. Nam etsi quàm maximè obtineantur & transmutentur à corpore, ipsum tamen quodammodo pro sui natura disponunt, ita vt processu temporis multa fiat permutatio ac similitudo nutritorum ad nutrientia. Ex eiusmodi autem alterationibus è mole corporea (quæ in perpetuo triplicis substantiæ est fluore) quod deperiit, restituitur, licet non tale, nec in ea quantitate, quale illud est quod effluxit Superius quidem ostendimus quidquid solidioris substantiæ deperditum est, id cibo restitui: ita & nunc dicendum, quidquid humidioris substantiæ deperditum est, reparari potu. Hæc autem humoris seu humidæ substantiæ deperditio, siti manifestatur: cu*

Cibi & potus alterant corpus.

Potu restauratur humidior corporis substantia.

Sitis, eiusque causæ. *ius causæ sunt partim humoris inopia, partim caloris copia. Atque vt fames cibo subleuatur, ita sitis etiam potu sedatur. Verùm qui esuriens biberit, aliquantulum*
Potus famem subleuat, non contra. *etiam famem subleuat: non autem sitiens sumpto cibo, sitim leuare potest: nam liquori nihil officit, quin sumptus ad omnes corporis partes quoquo versus permanet & compleat. & ideò inedia quæ inanitatem fecerat, accepto potus remedio, quasi iam non in totum vacua recreatur.*
Potus alit. *Præterea potum etiam alere dubium non est, id te-*
lib. de flatib. *stante his verbis Hippocrate: Corpora omnia tum hominum, tum reliquorum quoque animantium, à triplici nutrimento sustentantur. Horum autem nutrimentorum nomina hæc sunt, cibus, potus, spiritus. Qui verò sitiens cibum sumpserit, non solùm non domat sitim, sed magis cupiditatem potus accendit. Cibus enim vtpote concretior & grandior in venas, non nisi paulatim confectus admittitur: ideo sitim quam reperit, nullo solatio subleuat: immò quidquid humoris foris nactus est, exsorbet, & inde*
Sitis à cibis augetur. *penuria eius, quæ sitis vocatur, augetur. Scribit quoque Hippocrates in libro de salubri diæta: Quos sitis infestat, hos labores ciboſq́ minuere, & vinum dilutum bibere debere, idq́ quam frigidißimum. Verùm non omnis sitis*
Somnus interdum sitim sedat. com. 3. in l. 6. epid. sent. 23. *potu sanatur: interdum enim somnus sitim sedat, Hippocrate in Epidemiis teste, vbi sic scribit: Siti superficiali (talis autem est valde exigua, eaq́ neque à toto corpore, neque ex magno ventriculi partium affectu excitata) somnus medela est corporis penitioribus partibus madefactis, vtpote per somnum sanguine ad interiora delapso: hæ enim partes, maximè verò per quas ab ore in ventricu-*
Siti ex somno excitatæ, vigiliæ remedio sunt. *lum humor delabitur, in huiuscemodi siti aridiores redduntur, & incalescunt. At siti ex somno excitatæ, incalescentibus nonnunquam iisdem partibus, dum in stomacho cibi concoquuntur, quod potißimum contingit iis qui vinũ*

mera-

meracius paulò largius biberunt, si vigilantibus ipsis stomachus mundatus, nullos prætereà vapores suggerat, & calefactarum partium caliditas euanuerit, à siti liberantur. Potus autem quàm cibus, facilius & coquitur & distribuitur: quod his verbis Hippocrates in libro de alimēto confirmat: Qui cita indigent adiectione, iis humidum ad recuperandas vires optimum est: & aph. 11. sect. 2. Facilius est impleri potu, quàm cibo. Eā ob causam maior voluptas percipitur cùm sitis potu extinguitur, quàm cùm fames cibo sedatur. Nam potionis totus haustus in omne corpus statim simul penetrat, & omnium partium sensus facit vnam maximam & sensibilem voluptatem. Cibus autem exiguo subministratu, paulatim penuriam consolatur, ideò voluptas eius multifariam minuitur. Ceterùm hic obiter etiam id attingemus, potionis partem aliquam in asperam arteriam, deinde etiam in pulmonem illabi, si quidem Galeno habenda est fides. Is enim ad finem lib. 8. de decretis Hippocratis & Platonis sic scribit: Aliquam potionis partem per interiorem gutturis & asperæ arteriæ tunicam ingredi vnusquisq; in seipso periculum facere si voluerit, potest. Si enim aliquis accepta dum stat copiosa aqua intra os, dein supinus decumbat, eiusmodi percipiet defluxum, si modicè gutturis orificium aperuerit. Copiosior autem potio, tantaq; vt spiritus vias intercipiat, animal ad tussim irritat. Portionem quoque potus aliquam in pulmonem illabi inde perspicuum esse potest: quod si sitibundo alicui animali coloratam aquam propinaueris, ac deinceps statim iugulatum id disseces, pulmonem eius similiter coloratum inuenies. Non est tamen ob id cum Platone sentiendum, potum totum in pulmonem deferri, vt docet idem Galenus, idq; copiosissimè loco mox citato. Disarius quoque non minus doctè quàm disertè, Platonem in eo errasse demonstrat apud Macrobium libro Saturnaliorum

Potus quàm cibus facilius & coquitur & distribuitur.

Maior voluptas ex potu, quàm ex cibi sumptione.

Potionis pars aliqua in tracheam arteriam & pulmonem illabitur.

Platonis error.

liorum septimo, capite decimooctauo: eadem quoque de re vide Gellium libro decimoseptimo noct. Attic. cap. 11. Potuum genera duo. *Potuum genera in vniuersum duo sunt, aqua scilicet & vinum. Ceruisia enim, zythum, potusq́ is qui ex furfure in aqua cocto à pauperibus quibusdam in locis paratur, quam ipsi Boulliam vocant, aliiq́ his similes aquei sunt. Parantur quoque ex aqua potus quidam in ægrotantium vsum, de quibus hoc loco dicere non instituimus: ea enim hoc opere duntaxat tractamus, quæ sanis vtilia esse existimamus. Ceruisiarum autem naturam, coquendi & conficiendi rationem, post tot tantosq́ viros, qui rem eam tractarunt, exponere superuacuum visum est. Ergo de aqua dicamus.*

LIBRI QVINTI, SECTIO PRIMA DE AQVA,

CAP. I.

Aqua vnde dicta.

AQuam Grammatici nonnulli dictam putant, nec inepte, meo quidem iudicio, vt sine qua esse nõ possimus. Aquarum enim, quæ in vsum humanum veniunt, tantus est vsus tantaque necessitas, vt non humanum genus modò, sed ne animal quidem vllum hoc elemento carere absque damno posse facilè crediderim. Hominum enim natura facilius cuiusque rei indigentiam quàm aquæ ferre potest. Aquarum autem varia genera seu differentias, & singularum vsum multiplicem, abundè in præfatione ad libellum nostrum de balneis, eorumque vtilitate & vsu, disseruimus. Locus tamen hic postulat, vt eadem de re aliquid modò dicamus. Aquarũ potabilium quinque sunt omnino differẽtiæ: pluuialis, fontana, putealis, fluuialis, & è stagnis. harum pluuialis leuissima est: cuius Hippocrates in Epidemiis duas fecit differentias, his verbis: ὑδάτων ἀπεχνέων, τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ αἰθέρος ἀποκριθὲν, βρονταῖον, ὡραῖον: τὸ δὲ λαιλαπῶδες, κακόν: hoc est, aquarum arte carentium, & quæ ab aëre excernuntur, si cum tonitu temporaria præstantior, cum procella verò mala est. Pluuialis aqua quia leuissima facilè transmutatur & transmeat, ob idque ad nonnullos affectus vtilis est: febri verò, choleræ morbo, & ictero planè perniciosa est: facile enim in bilem vertitur; sed lippientibus destillationis aut vlcerum ratione opitulatur. Quia verò eadem multum styptica est & constrictiua, fluxum ventris constringit. Aquam pluuiam verò bonitate præstare argumento est, quod etiam à solis calore coquitur: nam & cetera quæ elixantur, omnia seipsis dulciora fiunt. Cùm verò putrescere incipit, omnino inepta est potui. Siquidem qui aquam putrescẽtem adhuc bibunt, hos raucitates, tusses, ac vocis grauitates corripiunt. Pluuialibus aquis succedunt fontanæ. Quæ verò ex his auersæ à sole è saxis erumpentes ad septentrionem vergunt, asperæ tardique transitus sunt, seroque & calescunt & refrigerantur. Quæ verò ad Orientem fluunt, & per meatum aliquem purámve terram excolantur, & celerrimè calefiunt & frigescunt, tales optimæ sunt, vtilesque in potu his qui rarò exercentur, cùm vehementi calore summa æstate vrgentur. Ex his quæ per vias sabulosas erumpunt, areno-

Aquarum differentiæ vbi tractatæ.

Aquæ pluuialis duo genera.

com. 4. in l. 6. epid. sent. 19.

Pluuialis aqua leuissima.

Quibus affectibus sit aqua pluuialis commoda, quibus cõtrà incommoda.

Putrescentis aquæ potus incommoda.

Aqua fontana.

arenosas, lapidosas & calculosas, aliis sunt subtiliores, & in potu etiam salubriores. Sabulum enim aut arena, lapilli aut calculi viscositatem, limum & terrenam crassitiem retinent aquæ præterlabentis: cuius rei argumentum est, quando nauigantibus in mari aqua dulcis deficit, dolium vel aliud aliquod vas implent, vel sabulo, & aquam marinam desuper infundunt, qua ratione & dulcis & potabilis redditur. Resides aquæ quales sunt puteales, quia non fatigantur, non admodum sunt tenues. Terrestres sunt, & difficulter excernuntur & permeant. Eæ quoque præ crassitie, & quia frigidæ sunt, non benè per vrinam excernuntur. Aptiores potui redduntur crebro hauriendo, ac si effluerent & puteorum expurgatione. Putealis aqua vtilior est fontana, his qui stomachi aut ventris ardore infestantur: minus autem alit quàm cælestis aut fontana. Fluuiales & è stagnis omnes viruperandæ sunt: nam & odorem absurdum veluti putrescentes habent, limosæ quoque sunt & graues. Ex eo genere Nilotica præstantissima censetur. Aquæ puritas & præstantia tribus sensibus indicatur, gustu, visu & odoratu: gustu, si nullam offerat qualitatem, sed qualitatis expers ad vnguem appareat. Aqua enim optima ἄποιος esse debet, vt scribit Galenus libro secundo de aliment. Visu, cùm sincera fuerit, & planè pellucida. Sic nec odoratu vllam præ se ferre qualitatem debet: vt sunt quædam extremæ prauitatis, quę aut aciditatem, aut acrimoniam, aut salsedinem, aut putredinem, aut aliud aliquod vitium præ se ferunt. Adhæc si citò calescat, & citò refrigeretur, optima censenda est & leuissima, non quidem pondere, sed facultate: quòd scilicet ventriculo grauis non sit, & quàm citissimè permeet, cui aduersatur grauis. Talis autem aqua tenuium est partium, minimumque habet limi terrestris, & facilè alterabilis existit, & tum concoctu, tum distributu facillima: & quanto ea tenuior fuerit, tanto quoque pati promptior erit. Facilè verò transmutari volumus, quidquid concoqui debet ab instrumentis, quibus munus coctionis à natura demandatum est. Aqua autem omnis quantumuis etiam bona, ex se & sola nihil boni sortitur. Eius verò vitia omnia ex frigiditate pendent. Cuius culpa & in præcordiis diutissimè moratur, fluctuationes excitat, in flatum mutatur, corrumpitur, & ita ventriculi robur resoluit, sic vt deterius proinde concoquat: sed nec digerendo per corpus

Resides aquæ

Vt aquæ puteales potui aptiores reddantur.

Aqua fluuialis & è stagnis

lib. 1. de simplic. medic. facult.

Aquæ puritas & præstantia quibus dignoscatur.

aph. 26. lib. 5

Aqua ex se nihil in se habet boni.

Vitia aquæ vnde.

pus alimento aliquid magnopere conducit. Reliquas aquæ noxas (omnes enim tractare & distinctius explicare prolixius esset) lege apud Hippocratem in libro de ratione victus in morbis acutis. Noxas autem quas corpori inferre apta est aqua, vinum tollit admixtum. Aqua autem vino infundenda, non aquæ vinum. Aqua enim si vino infundatur, natura sua ima necessariò petet: in illa autem transmissione necesse est vt commisceantur. At si vinum aquæ infundatur, illud, vt cuius natura sit leuior, fundum non petet; nō ergo tam bene miscebitur. Aquam autem merumque miscemus, quo furentem deum (vt cum Platone loquamur) sobrio altero castigatum temperemus. Aufert enim à vino aquæ commistio id quod est noxium, non tollens interim id quod est vtile. Aqua quoque si cum vino bibatur, sitim efficacius extinguit quàm si sola, scilicet vino ipsam ad distributionem promouente. nam vini omnino minimum veluti excitationem quandam, quæ ad distributionem aquam trahat, permiscemus ægris, quo duntaxat aquæ tollamus sinceritatem, non aquam vinum faciamus. Sani autem plerique vinum aqua dilutum bibunt, sed in his aquam gustatu ipso eminere non oportet: in ægris autem sufficit modica vini repræsentatio. Habet verò etiam alios vsus ipsa aqua: his enim qui natura aut ætate sunt calido admodum temperamento, aquæ potus longè accommodatior vino. Ea licet nihil nutriat, recreat tamen vires instar medicamenti reducens ad symmetriam temperamenti ea quæ propter immoderationem erant imbecilla: vnde & cibi appetentiam auget. In ardenti etiam febre opportuno tempore feliciter & salubriter exhibetur: naturæ enim febris aduersissima est, corpus tum refrigerans tum humectans. Confert quoque & his qui nocturnam pollutionem patiuntur. Reliqui aquæ vsus petendi sunt ex Aëtio, Oribasio, Hippocrate in libro de aere, locis & aquis. Porrò cauendum est à frequenti potu aquæ frigidæ: nam qui frigidam frequentius bibunt, frigidas ægritudines non euadunt, præsertim verò in senectute: tum enim calor naturalis est debilis, quo fit vt senibus aquæ potus minus conueniat. Quod si necesse fuerit aquam in sanitate bibere, coquendam seu bulliendam antequam bibatur consuluerim. Coctura autem rationem explicat Galenus, illam Hippocratis in Epidemiis sententiam

Vinum aquę noxas emendat.
Aqua vino infundenda non contra.
Aqua cur mero admiscẽda.
Aqua vino mixta sitim efficacissimè restinguit.
Vario modo sanis ægrisq; vinum diluẽdum.
Aquæ vsus.
Aquæ vsus quibus in locis tractati.
Aquæ frigidæ potus frequẽtior noxius, præsertim senibus.

lib.6.epid. comm.4.sent. 10.

tiam exponens, quæ sic habet: Aquam decoctam aerem excipere, vas verò plenum non esse, & quod superponatur habere oportet.

LIBRI QVINTI, SECTIO SECVNDA, DE VINO.

Vina bibe, humentes sed sint imitata tepores
Antiqui calices, nec noua musta placent.
Alba colas melius, reseratis postibus intrant
Corpora, & emulcent, sunt nigra sicca magis.
Si tibi sub rubro salienti grata colore
Sunt, modò sint olido munda sapore bibas.
Corda iuuant, vires reparant, subitãque reportant
Lætitiam, modicis sed bibe sumpta cadis.
Dulcia pectus alunt, iecori mala, peßima ventri
Turgidulo, somnos hæc Veneremque ferent.
Cæcuba fumoso nimiumque furentia viro,
Sensibus & stomacho deteriora nimis.
Forsitan & Chium expectas, grãdesque Falernos
Sint mihi pauca malo nec sino rura capro.
Calda minus, sed sũt magis humida aquatica vina.
Si ferat hæc stomachus, sensibus apta placent.

Vinum quid: vinorum genera seu differentiæ, & singulorum vires, CAP. I.

Vini nomen vnde ductum πῆλον. κραιπάλη quid.

VOlunt nonnulli vinum à vi deductum, nimirum quòd menti vim inferat. Poetæ πῆλον vocant, quòd mentem vibrare faciat. Inde κραιπάλη, inquit Phocion, vini poti noxa nomen habet. ἀπὸ τοῦ κάρηνον πάλλειν, quod caput cõcutiat. Est autem vinum, succus qui feruendo vires è musto sibi fecerit. Androchides sapientia clarus ad Alexandrum scribens, eius intemperantiam cohibiturus, vinum terræ sanguinem appellat. Cuius hæc verba sunt: Vinum pota-

Vinum sanguis terræ.

potatur rex, memento te bibere sanguinem terræ. Sicuti venenum est homini cicuta, sic & vinum. Vt enim nihil vtilius corporis viribus, si moderatè sumatur: ita nihil perniciosius si modus absit. Empedocli verò:

Vinum est putrescens sub ligni cortice lympha. Vinum quid.

Vinorum differentiæ ex his quinque generibus ducuntur: colore scilicet, sapore, consistentia, odore & virtute: per accidens verò etiam à tempore. Et à colore quidem Mnesitheus, apud Gellium tria vini genera petuntur: nigrum, album & medium, quod κιῤῥὸν, id est, giluum vocant. Vbi scribit nigrum virus efficere, album vrinam, medium πέψιν. Galenus has in vinorum colore statuit differentias, album, nigrum, fuluum, flauum & rubrum. Sunt & aliæ quæ medium obtinent differentiæ, quæ vt in colore, sic etiam in virtute mistæ reperiuntur. A sapore dicitur vinum aliud quidem dulce, aliud austerum, & ex his medium, tum quòd nullam manifestam habeat qualitatem, tum quòd ex vtraque constet qualitate, aliud denique acre appellatur. Quæ autem à substantia seu consistentia vini petitur differentia, in aquosum & tenue secatur, & in valde crassum, & in horum medium, atque in ea quæ medium hoc & extrema interiacent. At secundum eam quæ in odore est, alia quidem boni odoris sunt; alia verò non boni odoris; sed ferientem quandam & insuauem nacta sunt qualitatem: alia nullo pacto odorem habent, sed sunt aquæ instar inodora. Differentia verò in facultate seu virtute est ob quam aliud quidem potens, aliud verò imbecillum, aliud medium, atque aliud quod inter medium hoc & extrema iacet. A tempore denique nonnulla vina admodum vetusta dicuntur, alia recentia, & alia quæ in horum medio consistant. Cuius postremæ differentiæ meminit etiam Mnesitheus apud Gellium, scribens nouum refrigerare, vetus calefacere: medium verò esse quod neque calefaciat, neque refrigeret. Adhæc & ex loco sui ortus nonnullæ petuntur vinorum differentiæ: quas diligentissimè tractauit Plinius toto ferè libro decimoquarto suæ naturalis historiæ. Dioscorides capite quinto, libro quinto: Galenus libro de Euchymia & cacochy. libro de attenuante victu. In methodo multis in locis, maximè verò libro duodecimo capite 4. denique libro quarto de composit. medicament. secundum genera: ex quibus locis licebit omnes eas vinorum diffe-

Vinorum differẽtię ex quibus petantur: Differentiæ seu genera vinorum à colore.

A sapore.

A consistẽtia.

Ab odore.

A virtute.

A tempore.

Vinorum genera à loco sui ortus, à quibus & quibus locis exposita.

rentias,& singularum vires petere. Nos quoque vina ex locis in quibus nascuntur, appellamus; Aurelianensia, Aicensia, Artesiodorensia, Belnensia, Suessionensia, Parisiensia, & similia, quæ differentiæ numero penè infinitæ sunt, nec eorum omnium vires arte tradi possunt: ideoque his omissis, eas duntaxat, de quibus suprà egimus, attingemus, quarum singularum in alendo vires describemus. Quando verò nunquam separatur qualitas à substantia, planè necesse est in exponendis variis vinorum coloribus, simul etiam de eorundem etiam substantia dicere. Ergo rubra & crassa vina ad sanguinem generandum cæteris præstant, vt quæ perexiguā requirant immutationem ad sanguinis formam imbuēdam. Hæc subsequuntur nigra, dulcia & crassa: deinde quæ nigra quidem aut rubra sunt, sed in liquore cum crassitie acerbitatem admixtam habent. Ea tamen malum adeoque melancholicum succum gignunt, tardeque permeant. Adhæc vtramque excretionem, tum eam quæ per aluum, tum eam quæ per vesicam fit cohibent, & in hypochondriis diutissimè commorantur. Fuluum omne caput magis tentat quàm nigrum, eo enim calidius existit: at flauum summè calidum est. Fuluum & nigrum austerum, ventris fluxionibus accommodata sunt. Alba vina omnia frigidiora sunt: si tamē tenuia, aut non nimium meraca fuerint, facilius quàm nigra concoquuntur. Stomacho quoque vtilia sunt, & facilius in membra distribuuntur. Si tamen austera fuerint, non admodum vrinæ ciendæ apta sunt: si crassa, in hypochondriis moram trahunt. Nullum autem album vinum dulce est: sed quædam austera sunt & crassa, quædam aquosa & tenuia. Ex albis ea minimum nutriunt, quæ liquore subtilia, tenuique consistentia, & aquæ speciem imitantia fuerint: quod vini genus aquosum vocant. nam & pellucidum & splendens & purum est, & consistentia tenue videtur, & gustanti nullam adfert insignem qualitatem: sique ipsum aqua diluas, non multum aquæ feret: quamobrem ὀλιγόφορον veteres, id est, pauciferum appellauerunt. Huiusmodi autem vinum non planè adstrictionis expers est, sed eam omnino languidam habet; quod, si ipsum aquæ compararis, manifestum fiet. Facultate quoque persimile est aquæ: nam neque imbecillum caput tentat, neque neruos debiliores reddit, cùm ne perspicuè quidem calefaciat. Accommodatum est hoc vinum ad educendum è pulmone, cùm vires roboret,

Rubra & crassa generando sanguini aptissima.

Alba vina.

Vinum aquosum seu ὀλιγόφορον

boret, succosque humectet, & mediocriter incidat. Hoc quoque minore cum periculo, quàm cetera vina omnia, febricitantibus datur, vrinam quoque ciere apta sunt. Est quoque tenuis consistentiæ vinum, ex vsu est his quibus humor multus crassus in venis colligitur. Crassa autem vina crassioris & nigrioris sanguinis materia sunt: & sicut tardius conficiuntur & transeunt, ita si robustum ventriculum nacta fuerint, vt concoqui queant, copiosius alunt, eadem ventrem sistunt, & ad vrinam ducendam inepta sunt. Ipsorum quædam lienem, hepar, & renes obstruunt, vt nimio vsu quidam in hydropem, quidam in calculos inciderint, præsertim senes. Dulce vinum, ab ea quæ in gustu reperitur qualitate est nominatum. Dulcia autem vina impensè alunt, & tanquam virtute calidiora, melius quàm austera in ventriculo concoquuntur, & in venas distribuuntur, ventremque magis subducunt. Dulce vinum exquisitè tenue & splendidum nunquam reperies, sed perpetuò crassum est: cuius ratione ea incommoda infert, quæ reliqua omnia vina efficere diximus. nam obstructiones viscerumque tumores parit, vel adauget, tardè enim meat. Quamobrem jecori malè affecto maximè nocet, præsertim si inflammatione aut schirro infestetur. Minus verò nocet, si viscus à crassis humoribus obstructum fuerit, aut si imbecillitate afficiatur, quemadmodum accidit in iis affectionibus, quę propriè hepaticæ nuncupantur. Lienem quoque eadem vina lædunt: at pulmonem non item, cùm in eius bronchiis crassus humor impactus fuerit. Ad sputum quoque eliciendum facta concoctione, in peripneumonia & pleuritide ex vsu est vinum dulce, vbi particulæ inflammatione vexari desierint. Dulcia vina quanto minus calida fuerint, eo minus caput grauant, & mentem lædunt. Iis quoque qui amaram bilem acceruant (tales autem sunt calidioris & siccioris temperamenti) nullo modo apta sunt vina dulcia. Humores enim dulces omnes bilis flauæ idonea materia sunt. hoc vnum bonum in se habent, quod facilè per aluum secedant, ipsumque emolliant: quo si frustrentur, sitim inducunt, (quod indicium est ea facilè in bilem verti) flatus gignunt, denique non parum corpus lædunt & afficiunt. Austerum leuius quàm dulce alit, stomacho amicum est, verùm ægrè in corpus distribuitur. Austeris vinis vtimur, vt citam aluum sistamus: adstringunt enim: alioqui nullus eorum futurus

Crassa vina.

Vinum dulce

Vina dulcia impensè alũt

Dulce vinum perpetuò crassum.

Dulce vinum quibus noxium.

Humores dulces bilis flauę materia.

Vinum austerum, eiusque vsus.

est vsus, cùm ad cetera inutilia sint. nam neque deducendo alimento, neque sanguini gignundo, neque succi bonitati, neque ciundis vrinis, neque sudoribus eliciẽdis, neque demum aluo subducendæ conferunt. Ad succi autem bonitatem odorata vina præstantiora sunt: ceterùm caput feriunt.

Vina odorata

Vinum potẽs

Potens vinum Hippocrates οἰνώδης appellat. Id autem est tum vehementissimum, tum potentissimum; nimirum quod plurimum aquæ in mistura sustineat. Eius vsus vitandus est, quòd vires imbecillas feriat. At quod aquosum est natura, ceterum austerum, id percommodum est, quod & ab imbecillitate aquæ recessit, & vini noxam nondum habet.

Vinum aquosum.

Vina nouella

Nouellum vinum tum aquosum, tum verò imbecillius quodammodo est, quàm vt vino conueniat. Adde quod & ægrius concoquitur, & excrementosius est. nec verò sanguini gignendo id vini genus nec nutricationi confert: diutius enim in ventre suspensum manet sicut aqua. Nimius ergo nouellorum vinorum potus omnino fugiendus est: & maximè quidem si ea natura sua crassiora fuerint.

Mustum.

Mustum enim omne flatus plenum & concoctu difficile est, succumque crassum gignit. id solum bonum habet, quod facilè subducatur: quod nisi præstet, perniciosissimum est.

Vinum vetus

Vetustissima autem vina vehementissimè calefaciunt: & si quidẽ præ vetustate amara sint, immodicè siccant: quosdam etiam insomnes reddiderunt. Ex vinis autem ea deligenda sunt, quæ & flauo sint colore, & substantia tenui, & ætate vetera, (modò præ vetustate amara non sint: ab eorum enim potu est abstinendum) talia enim boni odoris continuo fuerint.

Vina quæ eligenda in potu.

Vini qualitas & natura.

Vinum autem, & quidem mustum quod vocant in primo, medium in secundo; admodum vetus in tertio ordine calefacientium existunt. Caliditati verò eius proportione respondet siccitas.

Vini partes quatuor.

Porrò vini quatuor partes sunt: vnum enim habet in se recrementum crassarum partium, vnde dum temporis spatio secernitur ferturque deorsum, fæx consistit: aliud verò secundum quod florem nuncupant; quod dum vinum feruet, supernatat, sed posteà ad fæces subsidit: tertium aqueum, quod toti vino permixtum est, hoc potissimum primarioque feruet; quartum præter hæc est ipsum reuera vinum.

VINI COMMODA ET INCOMMODA, CAP. II.

Vinum sic ad sanitatem, vt res vlla alia commendatur: sed bibentem scientia præditum esse oportet, si velit grauissimas pœnas effugere. Qui enim vinum moderatè bibit, hæc commoda percipere solet, caloris scilicet & virium incrementum. Vinum enim calorem natiuum accendere potest: qua de causa à Platone pueris prohibitus est vini vsus. Platonis autem ex libro secundo de legibus verba adscribere operæpretium esse duxi, quòd proposito nostro admodum accommodata sint, & ad eam rem quam tractamus omnino faciant: Itaque lege primùm cauebimus, ne pueri ad annum vsque ętatis duodeuigesimum vinum prorsus degustent: docentes haudquaquam ignem igni superindere in corpus atque animum oportere priùs quàm labores subire incipiant: vtique cùm insanum habitum iuuenum caueamus. Ab hoc verò ad annum vsque trigesimum vino moderatè vtendum. Ceterùm, ab ebrietate & temulentia iuuenes prorsus abstineant. Vt verò ad quadragesimum peruenerint, tunc in conuiuiis oblectati, cum deos alios, tum etiam Bacchum inuocent, in seniorum sacrificia simul & ludos, qui vinum contra senij austeritatem salutarem medicinam hominibus donauit, quo scilicet reiuuenesceremus, animique molestias obliuio deleret, ac mollis è duro factus animi habitus, vt ferrum igni impositum tractabilior esset. Alia quoque multa de vini potu itidem à Platone prodita sunt, lectu certè non indigna, immò planè vtilia legere volentibus. Addam vnum quod ad calcem eorum quæ à diuino illo Philosopho de potu relata sunt, adiectum est: Sed multo magis, inquit Plato, quàm Cretensium, Lacedæmoniorumque legem probarem, vt nunquam in castris quisquam gustare vinum audeat; sed toto illo tempore aqua bibatur. Et in ciuitate nunquam vini vsum seruo aut seruæ concederem: sed nec magistratibus, eo anno quo magistratu funguntur. Gubernatores etiam ac Iudices munus suum obituros, à vino penitus prohiberem: deliberaturos quoque de rebus non omnino negligendis. Ac nulli penitus interdiu vinum concederem, nisi exercitationis corporeæ (copiosissimè enim alit, atque citissimè vires recreat & reficit) aut morborum causa opus fuerit. neque etiam noctu viro vel mulieri, quando liberis operam dare volunt. Plura etiam

Vini moderatè sumpti cômoda.

Vinum pueris à Platone prohibitum.

Platonis verba de vini potu.

referri possent, in quibus homines legis rectæ mentisque compotes vino abstinerent. Hæc Platonis verborum series est notatu certè digna, ex qua colligere est, quibus commodus, & quibus contrà noxius sit vini potus. Romæ vinum mulieribus prohibitum esse legimus. Scripsere enim nonnulli, Floram Flauij diuinatoris vxorem vinum clanculum vberius potantem deprehensam, myrteis virgis & flagris à viro cęsam fuisse: atque ab eo tēpore intemperantes in vino mulieres, Romę flagris cædi solitas. Vino itaque vtendū est moderatè: & eadem à nobis vino dicenda sunt, quæ Veneri dixit Euripides: Contingat mihi tui copia, sed moderata, nec vnquam mihi desis. Siquidem vinum & potus est vtilissimus, & pharmacum suauissimum, & obsonium quàm minimè noxium, siquidem temperatum esse contigerit: idque magis vt in tempore modicè sumas, quàm vt aqua diluas. Vini enim vsus moderatus concoctionem iuuat, vino aluntur vires, sanguis colorque hominum. Sed & animum quodammodo afficit, quippe cùm vinum sit mœroris medicamentum. Helena enim merum crateri infudisse videtur, vt tristitiam mœroremque sedaret. Sed & tristitiarum cura eo ipso potu hebetatur, eaque de causa à soluendis curis vini repertor Bacchus Lyæus dictus est. Adhæc modicis honestisque inter bibendum remissionibus refici integrarique animos ad instauranda sobrietatis officia existimauit Plato, reddique eos sensim lætiores, atque ad intensiones rursum capiendas fieri habiliores. In vniuersum vini commodus vsus concoctioni, distributioni, generationi sanguinis, & nutritioni abundè confert. Denique voluptatem & humanitatem, bonamque valetudinem affert. Ebrietatem autem istam turpissimam, quæ labefacere & minuere hominum mentes solet, omninò damnat & detestatur diuinus idem Philosophus. Et certè (vt verum id esse fateri cogitur ebrietati deditus quisque) qui immoderatè potat, licet aliquid iucunditatis in potando percipiat, incommodi tamen non parum sentit. Nam quî fieri potest, quin incommodo afficiatur is qui nimium bibit, cùm animus in tanto vino immersus sit, vt eo calidissimo frigesiat? Incommodi autem & damni, quod ex potu nimio & immoderato percipitur, hæc argumenta sunt: Ebrij corpus primùm fit impotens, tum somno grauatur & opprimitur. Ad hæc vinum corpus totum caputque præsertim calidis implens

Romæ fœminis prohibitus vini potus.

Vino moderatè vtendum.

Vini commoda.

Tristitiæ & mœroris remedium est vini potus. Bacchus Lyæus.

Ebrietatis incommoda.

plens vaporibus, motus immoderatioris parti animæ concupiſcibili & iraſcibili, rationali verò conſilij magis præcipitis auctor & cauſa eſt. hæc quidem ebrij patiuntur. Poſteà verò ne ego quidem explicare poſsim, quot malis circumueniantur. nam & veriſimile eſt, eos attonitos reddi, & articulos vitiari, aut aliam aliquam corporis partem debilitari: denique iecori, ſpleni, capitiq́ue proprios cuiuſque morbos afferri. Vbi enim vinum plus bibitur, quàm vt vinci poſsit, tantum abeſt vt animal calefaciat, vt etiam frigida vitia gignat, quemadmodum docet Galenus libro tertio de Temperamentis: quippe apoplexia & paraplexia, & quæ Græcè κάρος & κώματα vocamus, & neruorum reſolutio, & comitiales morbi, & conuulſiones & tetani inmodicum vini potum comitantur, quorum vnumquodque frigidum eſt vitium. Ac mihi quidem conferenti vini tot bona totq́ue mala, non ſatis mirari poſſum, cùm liceat ex vino optima quæque ſumere, homines tamen peſsima potius eligant.

Vinum frigida vitia gignit.

LIBRI QVINTI, SECTIO TERTIA, DE CIBORVM ASSVMENDOrum ordine, quantitate ſeu menſura, adeoque de repletione & inanitione.

Scinditur extumidum corpus, conuiua vorator
Deſine iam, in patinis cura diurna tibi eſt.
Crapula & ingluuies tibi mors erit, ilia, venter,
Et iecur, & renes, ſplenq́ue caputq́ue dolent.
Si vix inſpiras, ſi te vexante podagra
Et chiragra exclamas, culpa miſelle tua eſt.
Deſine iam, extremo ſamis aduerſate furori,
Dedecet & nocuum eſt cedere velle gulæ.

De ciborum quantitate & menſura, CAP. I.

HActenus alimentorum ſeu ciborum in alendo facultates & vires, ſeu qualitates ſingulorum abundè expoſuimus; hoc vnum ſupereſſe videtur planè neceſſarium, vt

de eorundem quantitate, mensura, vtendi denique modo, etiam nonnihil dicamus. Cuius non exiguam habendã esse rationẽ docuit Hippocrates his verbis: Vbi plus cibi quàm pro natura ingestum est, hic morbum facit: & alibi rursus: Labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria. Ergo si vsquam locum habet, quod dicitur, Ne quid nimis, habet certè in iusta & decenti ciborum exhibitione. nam si plus cibi quàm concoquere possis sumpseris, ex eius in ventriculo corruptione, non stomachus modò, sed etiam totum corpus per cõmunicationem, grauem noxam damnumque non leue percepturum est: & si minus quàm deceat, in aliud incommodum non minus incides. Est ergo in sumendo cibo seruanda mediocritas: quæ autem & qualis esse debeat in sanis (ægris enim diætam hoc opere non præscribimus, sed ea duntaxat quę ad sanitatis conseruationem faciunt inquirimus) imprimis declarandum est, hoc posito: quantitatem cibi eam esse debere, quæ naturæ satisfaciat, non autem appetentiæ. Calidior enim natura ventriculus, melius quidem concoquit quàm appetat (vt scribit Gal. in arte parua) & multò magis dura, quæque non facilè alterationem admittunt: nam quæ facilè commutantur, in ipso corrumpuntur. Idem verò calidis potibus ac cibis gaudet, neque à frigidis læditur, si quis moderatè ipsis vtatur. Contrà frigidior ventriculus plus appetit, quàm concoquere possit, eos præsertim cibos qui frigidi sunt, nec facilè alterantur: qui citò in ipso acescunt, atque ideò acidis eructationibus talis ventriculus plurimum abundat. Frigidis quidem gaudet, sed ab eorum immodico vsu offenditur. Ergo inter ciborum & potuum genera dignoscere oportet magis potiusque quæ iuuant, quàm quæ delectãt: ac magis peritum esse eorum quæ stomacho amica sunt, quàm quæ inimica: & eorum quæ cõctionem non interturbant, quàm quæ palatum magnopere titillant. Etenim à medico sciscitari quid sibi concoctu facile sit aut difficile, quid aluo conducat aut noceat, id nõ minus sit turpe, quàm interrogare quid dulce, quid amarũ, quid austerum. Nec verò satis est salubrium ciborum exactam notitiam cõsecutum esse, nisi corporum naturas quoque, quorum causa cibi expetuntur, agnoscat. Ergo conuenit, vt suæ quisque temperaturæ non sit ignarus & imperitus, quàm siccum, quàm calidum habeat corpus: neq; quarum rerum vsu vel recreari vel lædi soleat. Siquidem (vt optimè

Quantitatis cibi summa est habenda ratio.

Cibi immodici noxæ.

Mediocritas in sumendo cibo seruãda.

Quantitas cibi qualis esse debeat.

Ventriculus calidior.

Frigidior.

Corporum naturæ noscendæ.

timè Plutarchus in præceptis de tuenda bona valetud.) ipse sui sensu caret, cæcusque ac surdus corpus inhabitat, quisquis ista discat ab alio, medicum percontans, vtrum rectius æstate valeat, an hieme, & vtrum humida facilius accipiat quàm sicca, & vtrum pulsum natura densum habeat, an rarũ. Ista autem scire non vtile solùm, sed etiã perfacile est, quippe qui assiduè experiamur & adsimus. Quantitatis itaque & mensuræ assumendorum ciborum quisque iudex esse debet, nimirum pro vsu & virtute sumẽtis. Talis autem esse debet, quæ grauitatem non inferat, hypochondria distendat & inflet: rugitum non efficiat, aut natet. Ex ea non contingat nausea aut vomitus, non canina appetentia, non ingenij pigritia & hebetudo. Certum enim & compertum est, pueros impuberes, si plurimo cibo nimioque somno vtantur, hebetiores fieri, aduertimusque hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, minusque adolescere. Ergo in vniuersum illud tenendum memoria est, non esse ita replendum cibo stomachum, vt in eo vacuus & superfluus non sit locus: sed è mensa surgendum remanente adhuc cibi desiderio & appetentia: famis enim reliquiæ, vt scribit Auicennas, post horam vnam destruuntur. Vitanda verò est omninò repletio. Cùm enim vasa cibis ac potibus fuerint supra modum repleta, periculum est ne aut ipsa disrumpãtur, aut calor natiuus suffocetur & extinguatur. Adhæc intemperantia & ingluuies corpus debilitat, & animum frangit. nam sicut temperantia longam iuuentutem facit, valetudinem & honestum corporis habitum conseruat: ita hæc præcipitem senectutem, corpus inualidum, & faciem squallidam ac fœdam præstat. Verum namque est quod vulgato prouerbio vsurpari solet, longè plures esse quos ingluuies ac crapula perimit, quàm quos ensis & inedia. Crudi namque homines malæ habitudinis fiunt, assiduè ægrotant, rarò conualescũt, non admodum diu viuunt. Nullam verò aliam ob causam veteres Romanos in propatulo ac sub dio, vel aperto atrio cœnare consueuisse veri sit simile, nisi vt suam continẽtiam ac frugalitatem populo indicarent. Quibus non tanta cura fuit ferculis mensas onerare, quanta eorum posteris. Epicurus etiam voluptatis assertor, elegantes opiparasque dapes aspernari solitum legitur, & liberos oleribus ac pomis refersisse, ac dixisse, vilioribus cibis vescendum esse, quòd paratiores essent. Fercula enim illa lautiora, & exquisita pul-

Quantitatis assumendorũ ciborum quisque iudex esse debet.

Pueris quæ incommoda accidant ex nimio cibo.

E mensa surgendum cum reliquiis famis.

Vitanda repletio, eiusque noxæ.

Intemperantia & ingluuies.

Romani veteres cur in aperto cœnabant.

Epicurus opiparas dapes aspernabatur

menta, ingenti cura & nimia ac miserabili impensa parâtur, maioremque molestiam quæritando faciunt, quàm voluptatem vescendo. Hippocrates quoque testatur, homines gulæ & ventri studentes, nunquam bene valere, aut longæuos esse posse, eorumque animos nimio sanguine, nimiaque sagina ita impediri, ac si luto inuoluti essent. idcirco nihil tenue nihilque cæleste meditari, sed de patinis ac ventris ingluuie duntaxat cogitare. Lepidè equidem admodum & scitè Varro in Satyra quam περὶ ἐδεσμάτων, cibis peregrinis & lautitiis inscripsit, factis versibus cœnarum ciborumque exquisitas delitias comprehendit. Genera autem nominaque eduliorum, & domicilia ciborum omnibus aliis præstantium, quæ profunda ingluuies vestigauit, quæ Varro opprobrans executus est, hæc fermè sunt: Pauus è Samo, Phrygia Attagena, Grues Mellicæ, Hædus ex Ambracia, Pelamis Chalcedonia, Muræna Tartessia, Aselli Pessinuntij, Ostrea Tarentia, Pectunculus Chius, Elops Rhodius, Scari Silices, Nuces Thasiæ, Palma Aegyptia, Glans Iberica. hanc autem peragrantis gulæ, & succos insuetos inquirentis industriam, atque has vndique vorsum indagines cupediarum maiore detestatione dignas censebimus, si hos versus Euripidis recordemur:

Ciborum exquisitæ deliciæ.

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυεῖν μόνον
Δημήτερος ἀκτῆς, πώματός θ' ὑδροχόου;
Ἅπερ πάρεστι καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν
Ὧν οὐκ ἀπαρκεῖ πλησμονή. τρυφῇ δέ τοι
Ἄλλων ἐδεστῶν μηχανὰς θηρώμεθα.

Quibus versibus sæpissimè vtebatur Chrysippus philosophus, cùm indicare volebat edendi irritationes quasdam repertas, non per vsum vitæ necessarium, sed per luxum animi parata atque facilia fastidientis, per improbam satietatis lasciuiam. Detestandum sanè quod homines brutis inferiores seipsos reddant incontinentia, & circa cibos intemperantia: ex qua multis & diuturnis implicantur morbis, qui ex vno repletionis fonte hausti, corpora spiritibus & perniciosis vētositatibus atque humoribus replent & inflant. Ergo assumendi cibi vniuscuiusque is modus esto, quo nōdum satietas ceperit, sic enim exuperās natiuus calor, cibos, qui in ventriculo continentur, confecerit. Præstat autem alimētorum quoque vires obseruasse, vt si ex iis fuerint quæ valentius & plus nutriunt, multo ante expletam appetētiam abstiamus:

sin eorum quæ parum ac leuiter alunt, liceat plura ingurgitare: siquidem hæc diutius concoqui postulant, illa facilè aluum subeunt. De potu facienda coniectura præsumpti alimenti humiditate ac siccitate. Porrò ad sanitatem plurimum facere censuerim ego, vno simplicique cibo contentum esse, aut saltem ferculorum numerum binarium non excedere: rationibus Disarij apud Macrobium ductus & persuasus, quæ certè & vehementes & prorsus medicæ sunt. Contrariam autem partem tuetur Euangelus, rationibus magis dialecticis quàm medicis. Disertè equidem & eleganter in vtramque partem agitatur quæstio hæc apud Macrobium capitibus quarto & quinto libri septimi Saturnaliorum. Sanitatis studiosus lector disputationem hanc legat, & rationes diligentius examinet & expendat, & quam volet partem sequatur. Vno simplicique cibo vesci ad sanitatem tuẽdam vtile.

De inanitione, cap. II.

Nunc vigiles socij ventres reseremus auaros,
Perque suos ductus iam resecata fluant.
Effluere illa petunt, neruus ni turgeat æger,
Ne putreant chymi, langueat & stomachus.
Hinc caput & læsi renes, hinc febris anhela,
Hinc laterum dolor est, hinc calor emoritur.
Mox famis assuetus feruor cùm venerit, ite
Hospitem ad extremum, clausa culina mea est.

VNa naturæ ex maximis ac præcipuis curis ea est, vt cibi reliquias ex omnibus corporis partibus purget: idque potissimùm si principes hę fuerint, vt est cerebrum. nam succi eius qui partibus ipsis affluit, pars quidem vtilis est adeò & esculenta, vt corpori nutriendo assimiletur, qui succus reuera est alimentum. Reliqua verò pars ad membrum vsque cum esculento peruenit quidem & ipsa: at cùm illud apponitur, segregatur, ad quam excernendam meatus requirit opportunos: quos nisi nacta fuerit, aceruata ibi primum quidem instar oneris grauat, deinde verò prohibet, quo minus succi posteà affluant, vias ipsorum præoccupando: quo fit vt membrũ ipsum nutriri non sinat. sed hæc leuiora sunt. Maiora verò his, & iam morborum instrumenta duo hæc Naturæ cura in cibi reliquiis expurgandis.

sunt,

sunt, in quæ incidere tandem corpora impura necesse est. Alterum quidem est, quod quemadmodum animalia esurientia, lutum aut aliud quidnis eiusdem generis: ita partes accommodato sibi alimento carentes, ob ingenitam sibi appetentiam coguntur aliquid vel ex ipsis prauis succis attrahere. Alterum verò quod collecta hæc excrementa tandem computrescunt: eoque modo acriora simul & calidiora reddita, inflammationes, erysipelata, herpetas, carbunculos, febres, innumerabilemque aliorum morborum turbam exuscitant. Ne igitur tale quid accideret, & maximè in partibus principibus, natura magnam curam adhibuit, vt superflua excernerentur. Superflui autem humores in corpore redundantes euacuandi sunt. Hi autem vitium faciunt vel in quantitate vel in qualitate, his purgatio, illis venæ sectio debetur. Ergo quando quis ex repletione infestantium humorum malè habuerit, is doctum imprimis & expertum medicum consulat, qui pro ratione morbi, humoris morbũ committentis, ætatis consuetudinis, constitutionis temporis & status anni, denique temperamenti corporis purgationem, sanguinis missionem, cucurbitularum appositionem, siue aut cum scarificatione, aut aliquod aliud remedij genus maximè accommodatum morbo præscribet & instituet. Licet verò suprà repletio nimia à nobis damnata sit, inediam tamen (quæ inanitionis vna est species) non laudamus, nec modum excedentem abstinentiam, quæ corporis vniuersum habitum tum æqualiter vacuat & extenuat, tum etiam sicciorem reddit. Inanitionum autem genera sanis accommodata maximè, de quibus hoc opere agendum est, sunt inedia, balneum & Venus. de balneo & Venere libro sequenti & proximo dicemus. de inedia verò hoc loco nõnihil etiam differemus. Ex inedia autem & nimia abstinentia non leues noxæ corpori toti accidunt, nimirum defatigata virtus, succi biliosiores & amarulentiores redditi, frequentes item καρδιώγμοι, id est, cordis (ita enim veteres os ventriculi appellare solebant) morsus, inquietudo, alui deiectionum retentio, denique excrementa acerbiora & maligniora effecta. adhæc inediam in calidioribus naturis febres excitare: id verò experientia sæpius compertum est. Inedia quoque inter ea quæ caput replent, adeò eminet (vt scribit Galenus in opusculo de venæ sectione aduersus Erasistratęos) vt ex illa tensio vehemens circa brachia manusq; oria-

Superflui humores vacuãdi.

Humores bifariam vitium faciunt.

Purgatio ex consilio medici instituenda.

Inedia inanitionis species est.

Inanitionum genera sanis accommodata quæ.

Inediæ immodicæ noxæ

oriatur. Quinetiam si qui stomachum affici aptum habuerint, iis insignem læsionem infert. Sunt tamen naturæ quædam quibus non modò innoxia est, sed etiam vtilis inedia: aliæ quoque sunt quibus aut nihil aut parum incommodet: contrà aliæ sunt quibus aduersissima est. Pituitosæ enim naturæ inediam facilè ferunt, biliosæ autem ab eadem non parum offenduntur: quod apertissimè Galenus libro octauo Methodi demonstrat, asserens temperaturas biliosas leui de causa febrem incurrere. Idem proportione in ætatibus contingit: senes enim facillimè ieiunium ferunt, vt scribit Hippocrates: secundo loco qui consistentem ætatem agunt, minus adolescentes, omnium pueri, præsertim qui inter ipsos fuerint viuidiores. Reliqua inediæ incommoda & commoda omnia percurrere prolixius esse. Ex his autem quæ de repletione & inanitione atque inedia diximus, oritur quæstio, eaque non leuis, sed admodum inter auctores controuersa, An sanitati plus cibi copia quàm tenuitas officiat.

Quibus vtilis aut aduersa inedia.

AN SANITATI PLVS OFFICIAT *cibi copia, quàm eiusdem tenuitas*, CAP. III.

HVius, quam hoc capite tractamus, quæstionis pars vtraque, suos fautores habet: nam

Qui satur est, pleno laudat ieiunia ventre.
Qui famet, extensi laudabit pondera ventris.

Tenuitatem sanitati plus obesse scribit Hippocrates in Aphorismis: In tenui victu, inquit, ægri delinquunt: quo fit vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniore victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valde exquisitus victus & constitutus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus atque admodum exquisitus, eo qui sit paulo plenior, magis periculosus existit. His assentiri videtur Celsus, sic cap. 1. lib. 1. scribens: Prodest nullum cibi genus fugere, quo populus vtatur. Interdum in conuiuio esse, interdum ab eo se retrahere: modò plus iusto, modò non amplius assumere: bis die potius quàm semel, & semper quàm plurimum modò hunc concoquat. Huius rei causam facilè quis elicere potest, ex iis quæ Galenus scribit in comment. ad Aphorismum 4. & 5. sect. primæ aph. Victus tenuis per pauca,

Sanitati plus obesse tenuitatem, quàm cibi copiam. Aph. 5. sect. 1

Victus tenuis

pauca, aut parum nutrientia fit, cuius terminus est viriũm exolutio, quarum gratia nutrimus. In sanis corporibus semper oportet naturæ robur seruare, vel augere alimentis, non demoliri. Est autem augere potens alimentum, quod plenum vocatur: conseruans quod modicum existit, quod verò minuit, tenue. Hoc igitur semper fugere oportet, aliis verò, vt præsentia exigunt, vti. Ex tenuitate siquidem vires minuuntur, corpus ad inanitionem perducitur. Incommoda verò inanitioni succedentia peiora sunt, ac curationi magis renitentia, quàm ea quæ plenitudinem sequuntur: testibus Hippocrate aphor. 26. sect. 2. vbi ait melius esse febrem conuulsioni superuenire, quàm febri conuulsionem, & Galeno in commentario ad eum ipsum aphorismum. In his enim quæ superant (inquit Celsus) est quod demat, morbus, in his quæ desunt, non est quod morbum ferat. Omitto Paulum, Aëtium, Arabes denique omnes, vnanimi consensu Hippocrati & Galeno adscribentes & assentientes. Ex his igitur constat cibi tenuitatem sanitati plus obesse, quàm eiusdem copiam. Plerisque tamen scrupulum iniicere possunt nonnullæ eorundem auctorum sententiæ, quæ certè superioribus ex diametro aduersari videntur, & tenuitati potius quàm cibi copiæ fauere. Imprimis quidem aphorismus ille Hippocraticus, vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit: ostendit autem sanatio, quæ scilicet per inediam & cibi tenuitatem fieri solet. Adhæc & decimus aphorismus eiusdẽ sectionis, impura corpora quo plus nutries, eo magis lædes. Cornelius Celsus satietatem nimiam damnat, capite secundo libro primo. Insuper Galenus comment. ad aphorismum tertium sect. primæ, scribit bonum habitum athletarum non mediocrem habere culpam, quod studeant tumoris molem corpori adiicere, & humorum multitudinem, ex cibi nimirum copia, vnde necesse est huiusmodi dispositionem esse periculosam. Vasis enim cibis & potibus supra modum repletis, periculum duplex imminet & vtrumque maximum: vnum è ruptione vasorum, alterum verò natiui caloris subita extinctio: sicut plerisque athletis contigit, qui subita morte interierunt. hæc autem pericula victu tenui & inedia vitari possunt. Adde quod omnes ferè morbi, & maximè exitiales, ex plenitudine fieri solent. Plures enim occidit gula, quàm gladius, vt in prouerbio est: plenitudo autem à cibi copia prodit.

Alimentum plenum.

Cap. 1. lib. 2.

Cibi copiam plus quàm tenuitatem sanitati obesse.

Aph. 17. sect. 2

dit.Paucissimæ verò ægritudines ex cibi tenuitate fiũt. Nulla siquidem res magis adiuuat laborantem, quàm rempestiua abstinentia, teste Celso cap.15.lib.2. Adhæc vasis repletis grauantur vires: grauatæ & oppressæ vires, atque imbecilles factæ non possunt copiæ dominari, quare nec eam probè coquere, distribuere, adiungere aut assimilare. Vnde necesse est, cibos ipsos corrumpi, qui plurimorum morborum postea auctores sunt. Ex quibus omnibus quis in hunc modum ratiocinari poterit, id plus obesse sanitati credendum est, quod plures grauioresque morbos afferre solet: sed cibi copia plures grauioresque morbos afferre solet, quàm tenuitas. Hæc enim solam ferè siccitatem (ex qua nullum præceps instat periculum) eamque paulatim affert, vt patet in plantis, quæ alimenti penuria, paulatim arent & siccescunt: illa verò omnia morborum genera parit, vt reliquas intemperies, febres ferè omnes putridas, tumores præter naturam, abscessus, vnitatis solutiones, ex quibus sæpissimè præceps instat discrimen. Igitur cibi copia plus quàm tenuitas sanitati officit. Hæc & pleraque alia auctorum grauissimorum Latinorum, Græcorum & Arabum, in vtramque partem proferri possunt testimonia & sententiæ, quæ problema admodum anceps faciunt. Nos (vt suprà diximus) auctoritatem Cornelij Celsi sequentes, nimiam repletionem damnamus, immò prorsus fugiendam esse existimamus: abstinentiã tamen nimiam minimè laudamus; vt enim illa plethoram, ita hæc cacochymiam parit. Sed mediocritas seruanda ea est, vt ne quid nimis. Quæ quidem mediocritas, propter infinitam indiuiduorum numerorum, & diuersam singulorum naturam & temperiem, arte declarari nullo modo potest. In genere tamen quæ qualisque seruanda sit mediocritas, ex supradictis satis manifestum est.

cap.2.lib.1.

Quis ordo seruandus in cibis, CAP. IIII.

Legitimus assumendorum ciborum ordo est, vt facilia concoctu, iis quæ ad concoctionem longius tempus requirunt: liquida solidis & aridis: quæ deiectionem moliuntur, iis quæ tardè commeant: lubrificantia adstringentibus: celeriter subsidentia, iis quæ in vẽtriculo morata corrumpuntur, præmittantur: idque in ventriculo secundum naturam se habente. Nam in eo cui ventriculus paulò laxior esset, adstringentium vsus lubrificantibus est præferendus,

Legitimus assumendorũ ciborũ ordo.

Ciborum ordinem immutātia.

dus, vt ei robur ex iis accedat. Varianda quoque hæc sunt pto varietate temperaturarum, anni status & temporū, consuetudinis, & aliorum quæ corporis immutandi vim habēt. Et is quidem ordo in cibis seruādus est: Intempestiuè enim aut parum conueniente ordine sumptus cibus concoctionē vitiat, vt his verbis apertissimè declarat Galenus libr. 3. de symptomatum causis. Rursus ventre ipso minimè affecto non concoquit animal, vel propter cibi ac potionis immodicam copiam, vel propter qualitatem alienam, vel propter intempestiuitatem, vel incongruum ordinem, vel vitiosum excrementum, vel somnum exiguum. Verùm quæ à vitiosis ciborum qualitatibus & excrementis, quæ in ventre habentur, consistunt, cùm corruptione sunt inconcocta. Sicut interim quæ parum conuenienti ordine, & intempestiuè sunt sumpta: dico autem parum conuenientem ordinem, si mala, verbi gratia, & punica primo locò sumantur: olera verò ex oleo & garo vltimo loco. Intempestiuitatem verò, si manè antequam prior cibus descenderit, vel paulo ante exercitationem prandeatur. Ex his igitur constat, non parum referre quo ordine cibi sumantur. Constat quoque in sumendis cibis, quis qualísque ordo seruandus sit.

Incommoda ex cibo intempestiuè aut parum conueniente ordine sumpto, contingentia.

Ordo parum conueniens.

Intempestiuitas.

HVGO.

HVGONIS FRIDÆVALLIS SAMPAVLINI, DE SANITATE TVENDA,

LIBER VI.

PRÆFATIO.

CAVSAS *corpus nostrum alterantes, dicebamus in procemio libri primi esse, aerem, cibum & potum, motum seu exercitationem & quietem, repletionem & inanitionem, somnum ac vigiliam & animi perturbationes. De aere & motu seu exercitatione libro primo huius operis egimus: secundo verò, tertio, quarto & quinto libris ciborum omnium & potuum rationem, singulorũ scilicet substantiam, qualitatem & vires, adhæc quantitatem seu mensuram, assumendorum denique decentem & congruũ ordinem, abundè & sufficienter, meo quidem iudicio, exposuimus. superesse itaque videtur, vt de reliquis alterantibus causis agamus, scilicet de somno & vigilia, atque de animi perturbationibus. Quod vbi absoluerimus, huic operi finem imponere constituimus. De inanitione enim & repletione etiam libro superiore disseruimus. & de inanitione quidem agentes dicebamus, inanitionum genera sanis accommodata, esse balneum, Venerem & inediam, seu victum tenuem: vbi etiam tenuitatis victus seu inediæ modum exposuimus, tractationem verò de balneo & Venere in librum hunc transtulimus. Itaque de his priùs, quàm de somno & vigilia atque animi perturbationibus, dicendum videtur.*

LIBRI SEXTI, SECTIO PRIMA,

De balneo, cap. I.

Balnea ni corpus mundum est, haud intret, obesum
Et tumidum fieri si tibi forte velis.
Si modò sint mundæ, & lymphæ tibi suaue tepētis
Vtilia in laxis noxia poplitibus.
Si gelida ingrederis, calor hinc internus abundat,
Musculus obdurat, nec tibi nerue nocet.
Sulphureum aut salsum si sit tibi forte, vel ære,
Aut cinere, aut ferro concomitante caue.
Consule prudentem medicæ prius artis alumnum,
Et prodesse potest & nocuisse solet.

Balnea sunt de genere euacuationum

BAlnea in quinto ordine generis euacuationum reponuntur. Euacuationum enim genera recensens Galenus comment. ad aphorismum 17. sect. 2. sic scribit: Euacuatio omnium humorum æquabiliter, quæ quidem exquisitissima est, fit per venæ sectionem. Proxima autem huic est, quæ per tibiarum scarificationem, vt nos facere cōsueuimus, & quæ per exercitia, vel frictiones, vel balnea, & præterea ex accidenti per inediam. Balnea verò corpora vacuare indicat eorum vis in alterando corpore: quæ tanta est, vt nihil inuenias quod valido æstu occupatos præsentius refrigerare, aut magna frigiditate affectos promptius calefacere, quàm balneum possit. Cùm enim natura humidum sit & moderatè calidum, humiditate quidem natam ex caliditate siccitatem irrigat: caliditate verò ortam ex gelu frigiditatem persanat. has ergo in corpore alterationes efficit balneum. At quæ per hæc fit euacuatio, parua est, & solam ferè cutem euacuat. nam superfluitates per carnem & solidiores corporis partes dispersæ minus sufficienter balneis euacuari queunt. Balneorum autem opportunus vsus, cùm ad prædicta alia, tum ad alimenti digestionem est efficacis.

Balnea euacuare quid indicet.

Balneorum in alterãdo corpore vis.

Balneorum vsus.

cacissimum præsidium: non tamen ab inedia diuturna, sed à coctione vtentibus. Huic enim qui nuperrimè cibaria ingesserit, balneæ adhibitæ, crudis & incoctis succis corpus implent, iisdem ab inedia eliminantur vires: inde fit vt neque balneum toleret plethorica dispositio absque maximo detrimento. Nec verò balneo vti tutum est, nisi inanito corpore: tunc autem vtile est, potissimum cuius lauacri aqua potabilis non est, sed in qua vis quædam per halitum digerendi subest. Sed non æquè omnibus conuenit balneum: imprimis verò iis confert, estque salubris balnei vsus, quibus mordax calor natura est, adeò vt fumida excrementa gignat. Balnea autem partim ex aquis dulcibus, & qualitatis expertibus constant, partim verò ex iis quæ qualitate sunt præditæ, & vim habent vehementem & conspicuam: ea partim industria parantur, partim per se ita nascuntur: illa vel calida sunt vel frigida. Aquæ autem frigidæ lauationem, ita quidem laudo, vt non iis qui nullo victus delectu agunt, ex vsu esse dicam, verum solis illis qui eodem accurato laboribus & cibis, sicut expedit, vtuntur. Vulgaribus autem qui per æstatis ardentes æstus refrigerationem quærunt, abundè est natare, siquidem ij iuuenes εὔσαρκοι & frictionibus prius excalfacti fuerint. Est autem omninò necesse aquam ingressuris, vt neque Venere, neque vigiliis, neque alio quouis modo fatigentur, neque cruditatem sentiant, neque vomitu aut aluo inaniti sint. Periculosum enim si quis ita affectus frigidæ balneo vtatur. Calidum verò balneum & optimum & tutissimum est, lassitudinem soluit, humorum repletionem per halitum digerit. item excalfacit, mitigat, emollit, corpus à lassitudine tutum reddit, flatus vbicunque decubuerint, diffundit, somnum conciliat, carne replet, denique omnibus & ætati cuiuis aptissimum est. In summa, balneorum vsus nulli secundus, quippe quibus solidiores corporis partes humescant, ac meatus reserentur: infarctuque hi omni attenuati liberentur. Horum certè tibi potissimum admittendus vsus, præque alia victus ratione, qui corpus gestes recrementis vacans, subaridumque sic à te ieiunij consuetudine confectum & frugalitate. nam qui corpore constant carnosiore, aut collectorum humorum multum circumferunt, noxam potius cõtraxerint, intempestiuo horum vsu: quibus tamen ipsis si euacuentur prius, iam impertiri hac iuuamentũ summũ queant, vtpote

Quibus balnei vsus salubris, quibus etiam noxius

Aquæ frigidæ balneum.

quæ meatus irrigent atque expediant, ſatiſque per halitum digerant: in iis verò qui repletione laborant, antequã quod ſatis ſit per halitum digerant, interius conſtitutos humores reſoluunt atque accendunt, & adhuc deliteſcentes conturbant & excalfaciunt. Spontè verò naſcentibus quæ calefaciendi vi prædita ſunt, vt vtare, nunquam ſanè conſuluerim, vt quæ ſiccatoria maximè vi polleant. Quum enim nitrum hæc atque alumen, & atramentum ſutorium referant, humorem exhauriunt potius quàm reponant. Hortandi ſunt vt ad ea ſe conferant, qui malo corporis habitu ac turgidiore tument, quibuſque periculum eſt, ne in aquam inter cutem incidant, quibus ſiccatoria victus ratio conferat: ſanis verò hominibus iis præcipuè qui paululũ modo ſicco calidoque temperamento conſtant, valde damnanda. Ceterùm, balneorum omnium differentias & genera, atque ſingulorum tam in ſanis quàm in ægris vſum ſeu vtendi rationem explanatius tractauimus in eo libello, quem De balneis ſuperiore anno conſcripſimus & in lucem emiſimus. itaque eum libellum ſibi comparabit, quicunque balneorum totam rationem & legitimum vſum ſcire cupit. Nihil enim à nobis omiſſum in eo opuſculo (licet omnia ſumma breuitate & methodicè tradita ſint) quod ad eam rem faciat, planè exiſtimo. Itaque ne videamur dictata recantare hoc loco velle, hæc quæ diximus in præſentia ſufficiant.

Balnea aquarum ſpontè naſcentium.

Balneorum tota ratio vbi tradita & abundè expoſita.

De frictione, cap. II.

Si rogitas citius pingueſcere lote, ſequatur
Balnea, ſitque leui frictio facta manu.
Senſibus illa fauet, calor hinc viget omnis, alũtur
Effœta hinc melius membra, caputque valet.
Quid non humanum ingenium ſapit? ægra moueri
Corpora quum nequeunt, frictio prõpta ſubeſt.

Frictionum differentiæ ex quibus petantur, & quales ſingulæ ſint.

FRictionum differentiæ aliæ à quantitate, aliæ à qualitate, nonnullæ verò à dimenſionum ſitu petuntur. Et à quantitate quidem dicitur frictio multa, pauca, mediocris: à qualitate verò dura, mollis, & harum media, vtique etiam medio-

mediocris. A dimensionum porrò positione dicitur recta, transuersa, subrecta, subtransuersa & obliqua. Ex complicatione autem differentiarum ex quantitate & ex qualitate petitarum nouem exurgunt differentiæ: de quibus omnibus lege Galenum in opere de sanitate tuenda. Frictio autem quandoque per seipsa commodum aliquod corporibus nostris affert: quandoque verò iis quæ commodum afferunt ministrare potest. Ministrat autem in exercitationibus & balneis, ad ea præparans corpora ipsa, & item cùm post eas adhibetur. Ac prior quidem frictio præparans, posterior verò apotherapeutica nuncupatur. Præparatoria frictio corpus mollit, ea pauca, & qualitate mediocris esse debet. Apotherapeutica verò excrementa purgat, & corpus à lassitudine tutum reddit. Frictionis ipsius effectus sunt, quod & rara densat, & mollia durat: dura mollit, & densa laxat: hæc mollis, illa dura frictio præstat. Adhæc dura ligandi, mollis soluendi vim habet. Ideoque quæ supra modum soluta sunt corpora, ea duriter planè fricanda sunt; contrà quæ constricta sunt, molliter: quæ modicè se habent, nec molliter nec duriter, sed quatenus fieri potest vtroque declinato extremo. Sed etiam habenda est in frictionibus virium ratio: vbi enim imbecillæ vires sunt, crebra exiguaque frictione vtendum; vbi validæ, rara atque multa. Frictionis omnis opus est calorem accendere: cùm autem modicè calefaciat, & vitale robur excitet, efficit vt & distributio alimenti sit facilior, & nutritio promptior. Sit autem hic frictionis modus, vt eousque vtaris, donec gratum minimeque molestum senseris. Ceterùm, apud nos nullus est, aut sanè perrarus frictionis vsus. nam & balneorum vsus minus quàm priscis temporibus frequens est. Exercitationes quoque subimus, nulla præcedente frictione, in quo certè (verum enim fateri cogor) non leuiter erramus, siquidem ea quæ diximus suprà libro primo, commoda & vtilitates non præstat exercitatio, nisi corpus antè ad eam præparatum fuerit. Si enim quis statim ad valentiorem motum se comparet, prius quàm totum corpus molliatur, excrementa repurgentur, & meatus laxiores reddantur, metuendum equidem est, ne pars aliqua rumpatur, aut conuellatur, aut ne excrementa spiritus impetu ad extrema corporis impulsa, meatus ipsius obstruant, quibus obstructis cùm amplius difflari aut effluere nequeant, ipsa excrementa putrescentia graues morbos

Frictionis vsus duplex, vnde & ipsa frictio dupl[ex]

Frictionis effectus.

Frictionis commoda.

Frictionis vsus apud no[s] nullus.

pariant. Est ergo frictionis non aspernandus vsus & vtilitas.

LIBRI SEXTI, SECTIO SECVNDA, DE VENERE SEV CONCVBITV, CAP. I.

Maxima iam veniant Erycinæ gaudia, proles
Expectata diu est, huc Hymenææ veni.
Te sine vana hominum spes omnis, gaudeat hæres
Quum Veneri annueris, tu modò blanda veni.
Per te nostra decẽs, & casta, & sancta voluptas
Seruor & incolumis, si modò parca Venus.
Renibus extumidis hinc cura est, ira furorque,
Et metus omnis abest, hinc vigil audet amans.
Hic validũ est corpus, crescit calor intimus, hic cor
Sidereumque caput, si modò parca Venus.
Hinc stomacho empta fames, pulsa caligine sensus
Hinc valet, hinc bilis fœda perire solet.
Deliciæ hinc dulces, hinc est amor ille proteruus,
Hinc Veneris puer est, tamque cupitus amor.
Si modò castus amor Claudi si liquerit antrum
Mater, & est Marti dedita culpa tua est.
Si lacer Hippolytus moritur, si proditur ingens
Ilium, & infausto sanguine mora rubent.
Si puer Idæus summo sit cura parenti,
Credidit hinc nocuos cùm minus esse thoros.
Culpa tua est, fallit tua non satiata libido,
Pallet, & hinc moritur ni benè cautus amans.
Euolat exanguis subitus calor, ora, palatum,
Et malè olet stomachus, nec satis inde coquit.

Per-

Perditur, & misero nihil est quod prosit, abito
Improbe, velle mori non amor, imò furor.

Veneris vsus legitimus & moderatus, ad sanitatis rationem non parum facere videtur. Scribit enim Hippocrates: Labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria. Rerum tamen venerearum ex Epicuri sententia nullus est vsus salubris: reuera tamen salutaris existit, si & modum, & tempus opportunum velis animaduertere. Et modum quidem, si tantum interualli interponatur, vt neque resolutio vlla sentiatur, & ipse homo seipso leuior factus, & melius etiam spirare videatur. Tempus verò ad vtendum Venere est opportunum, cùm corpus in exquisita omnium circunstantiarum mediocritate fuerit constitutum: vt neque nimis plenum sit, neque vacuum, neque nimis perfrigeratum, neque supercalefactum, neque exiccatum, neque humectatum. Præterea commodum tempus est à cibo, qui ad satietatem non sit ingestus, antequam somnus inuadat. Siquidem lassitudo ex coitu contracta somno statim remittitur. Adhæc & accommodum est id tempus procreandis liberis, tum aliis de causis, tum quod mulier consopita genituram facilius retinet. Naturæ Veneri idoneæ sunt calidæ & humidæ, solis enim iis innoxia est. Victus quoque ratio, anni tempus, ætas, & reliqua calida simul & humida ad Venerem accommodatiora sunt. Venus autem ætate florentium est, vtique quo tempore etiam eius vsus est. quę enim hanc vel præcedunt ætates, vel sequuntur, aut planè semen non effundunt, aut certè infœcundum, vel malè fœcundum emittunt. Veneris autem eo quo paulò antè diximus modo vsurpatæ, multa sunt commoda: humores enim superuacuos inanit, corpus agile præstat, in augmentum promouet, & virile magis efficit. Quantum verò ad animum spectat, impeditam intelligentiæ vim dissoluit, iratos mitigat, eoque melancholicis coitus, si quid aliud remedium est accommodatissimum: item alio modo insanientibus integritatem sensuum restituit. Iam pituita redundantibus Venus est vtilissima, vt contrà temperaturis siccis & biliosis inimicissima est. Iam nonnulli cibum respuentes eius cupiditatem hinc recuperarunt, alij continuis per somnum Veneris imaginibus liberati sunt. Hippocrates vnico verbo, breuique admodum sententia scripsit in Epidemiis: Res Vene-

Veneris vsus quomodo salubris.

Tempus ad Venerem opportunum.

Quæ naturæ ad Venerem magis idoneę sint.

Veneris moderatæ commoda.

lib. 6. epid. sent.

reas morbis quos pituita gignit accommodatiſſimas eſſe. Cuius rei cauſam reddit Philoſophus in problematis, vbi ait, feruorem coeundi calefacere & exiccare, multumque pituitæ detrahere. At qui coitu immoderatius vtuntur, nihil mirum eſt ſi imbecilliores euadant, cùm & vniuerſum corpus tam ſeroſi humoris quàm vitalis ſpiritus puriſſima parte fraudetur, & accedat etiam voluptas quæ vel ſola idonea eſt ad vitales vires diſſoluendas, vt nonnulli iam nimia voluptate affecti interierint. Vnde ſi quis immoderatius libidini vacet, teſtes frequentius ex vaſorum reuolutione ſemen trahentes, ipſa penitus exinaniunt; & ſi huiuſcemodi animal diſſecueris, in ipſo humorem nullum ſeroſum inuenies: contrà in iis qui Venereis abſtinent, & plurimum & craſſiſſimum ſemen reperitur. Longè autem magis Veneris aſſiduus vſus nocebit iis qui neruoſas partes habuerint imbecillas, aut thoracem, aut renes, aut lumbos, aut coxendices aut pedes: quod ita eſſe apparet, cùm vniuerſum hominis robur tali vſu deterius fiat. Robur verò in nobis eſt calor ipſe naturalis, qui alimenta concoquit: ergo in iis qui coitu immoderatius vtuntur, languidiores & minus bonæ concoctiones apparent, debilitatur viſus, auditus, denique & reliqui ſenſus. Sunt etiam huiuſcemodi homines obliuioſi, tremuli, articulorum doloribus (nam pueri ante vſum Venereorum podagra laborare non ſolent) maximè verò iſchiadicis, renumque & veſicæ vitiis admodum obnoxij. his etiam ſuperciliorum pili ſæpiſſimè decidunt, vel albeſcunt, propter humiditatis corruptionem, aut virtutis defectum, vel propter frigiditatis cerebri augmentationem. Oris prætereà fœtor, dentium dolores, faucium inflammationes nonnullos corripiunt. Immò plures nimio concubitu etiam ſanguinem expuerunt, partim ob violentam delationem, extenſionemque ſpiritus, partim ob conſenſum thoracis cum teſticulis ex venarum & arteriarum ductu. Et, vt ſummatim dicamus, ex immoderata Venere corpus rarius, frigidius, ſiccius & imbecillius euadit: ſtomachus debilitatur, in ventre contenta frigeſcunt, ex frigiditate autem ſicceſcunt & indurantur. Hinc Ariſtoteles in libro de ſpermate, refert animalia ſuperfluo & immoderato coitu vti conſueta, breuioris eſſe vitæ, quàm illa quæ rarò coeunt. Nam ſperma de ſanguine bono ac probè confecto aſſumitur, qui iam in membrorum & ſingularum partium alimen-

Marginal notes: ſect. 1. probl. 51. — Veneris immoderatæ noxæ. — Robur in nobis quid. — aph. 30. ſect. 6 — Animalia immodica Venere vtentia, breuis ſunt vitæ. — Spermatis generatio.

mentum cederet. Ideoque qui frequentiore Venere vtuntur, macilentiores, diſcolorati, & omninò imbecilliores reddi ſolent. Veneris autem immodicæ nocumenta graphicè admodum deſcripſit Hippocrates in epidemiis, adoleſcentis cuiuſdam in Meliboœa hiſtoriam narrans: qui ex potu & Veneribus multis diu calfactus, in febrem & phrenitidem incidit, ex qua decubuit anxius, horridus, vigil, ſitibundus, demum multa perpeſſus accidentia vel ſæuiſſima, vigeſimo quarto morbi die obiit. Ergo moderatæ Veneris commoda, & contrà eiuſdem intemperâtioris noxas abundè deſcripſimus. Ceterùm Veneris finis voluptas eſſe non debet. Planè enim conſtat, modeſtos viros non ob voluptatem, ſed vt ab impedimento præſeruentur, libidini indulgere, perinde ac ſi nulla voluptas eſſet ei coniugata. Ita Diogenem Cynicum, virum alioqui continentiſſimum, libidini indulſiſſe narrant, non à copulata illi voluptate, veluti bono aliquo illectum, ſed vt noxam quæ à retento ſemine prouenire ſolet, euitaret. Galenus in opere de locis affectis ſcribit, manifeſta coniectura ſe eſſe aſſecutum, vitiato ſemini maiorem quàm menſtruis ineſſe vim ad noxam vniuerſo corpori inferendam, ex ſymptomate quod apparuit in muliere quadam ex longo tempore vidua, quæ præter cetera mala, neruorum quoque diſtentione vexabatur: ac dicente obſtetrice, vterum eſſe retractum, remediis ad huiuſmodi affectus conſuetis vti decreuit: quibus adhibitis, partim ob ipſorum calorem, partim etiam quòd inter curandum manibus tractarentur muliebres partes, oborta titillatione, cum labore & voluptate, veluti per coitum vſu venire ſolet, excreuit craſſum plurimumque ſemen, atque ita à moleſtia ſua liberata eſt mulier. Sed reliqua etiam animalia ad coitum excitari arbitratur ibidem Galenus, non quod exiſtiment voluptatem boni cuiuſpiam ſpeciem præ ſe ferre, ſed vt ſemen, quod ipſa moleſtat, excernant: haud ſecus quàm deiiciendi ſtercoris, excernendæque vrinæ deſiderio ſuapte natura moueri conſueuerunt. Ego verò veriſimilius eſſe crediderim, naturam omnibus animalibus concipiendi organa congruentia tribuiſſe, ipſiſque inſtrumentis eximiam quandam vim voluptatis effectricem: animæ verò incredibilem ipſis vtendi cupiditatem coniunxiſſe: à qua animalia incitata ſimulatque (etiamſi rationis expertia, ætateque tenera ſint) prouident tamen,

Ad finem li. 3.

Veneris finis qui.

Diogenes Cynicus Venere vtebatur & quam ob cauſam. lib. 6.

Cur à natura ſit animantibus data Veneris appetentia.

tamen, non secus ac si prudentissima essent, vt genus suum sit superstes. Et certè mirabilis illa est à natura inuenta illa ratio, qua in demortui animalis locum, nouum aliud sufficiat. Id enim naturæ restituere debemus, quod mutuo accepimus, nimirum vitam aliis dare, quam nobis parentes nostri tribuerunt: qua ex re id nanciscimur, vt filij nobis per ætatem senio confectis & imbecillioribus factis id restituant, quod à nobis in eorum infirmitate acceperunt. Alant nos in ea ætate in qua baculo nitentes infirmi inualidique sumus, sicut nos illos educauimus in prima eorum ætate, cùm nostris vlnis sustinebantur, vel reptando humi niti conabantur. Et hoc pacto vicissitudo naturæ perpetuò adimpletur, & quod in simplici genere nequit, in sua specie conseruatur. Veneris itaque finis esse debet liberorum procreatio: illicita autem Venus, & cuius nullum velimus esse fœtum, omnino fugienda est. Rectè equidem Sophocles fœcundam boni fœtus Cytheream appellat. Quapropter summa cum obseruantia coniugibus hac re vtendum est, vt omni profana illegitimaque in alios consuetudine, puri sint, nec serant vnde nasci quidquam nollent: quin si fructus gignatur, pudet & celant. Homo igitur procreandorum liberorum causa Venerem non abhorreat: illecebras tamen fugiat, naturali legitimoque connubio sit contentus: reliquas omnes turpitudines respuat. Cui etiam modus adhibendus est, exemplo Solonis, qui per legem statuit, vt ter singulis quibusque mensibus vir vxori congrederetur. At voluptas carnis omnino exhorrenda est, quam Plato malorum omnium pabulum esse dicebat. Nam optimam indolem perimit, virtutem animi corporisque frangit atque eneruat: ingenium hebetat, consilium eripit, & honesta omnia obscuriora reddit. Adhæc huiuscemodi voluptate nihil fœdius, nihil tetrius, nihil denique pecudi vicinius. Nulla enim in re magis accedunt homines ad brutorum conditionem, quàm fœdissima carnis libidine.

Castitas summa diligentia obseruanda.

Solonis lex.

Voluptas carnis detestāda.

LIBRI SEXTI, SECTIO TERTIA, DE SOMNO ET VIGILIA.

De somno, cap. I.

Deficiunt vigiles sensus, hebetantur ocelli,

Tertia

Tertia iam absumpto præterit hora cibo.
Cœcuba præcipiunt somnos, caput annuit, ite
Conuiuæ, in solitos currite quisque thoros.
Naturæ hic benè seruet opus, benè cōcoquet hepar,
Venter & amplexu nobiliore cibum.
Lethæa est resupina quies, hinc omnia pallent
Mēbra, iecur, ren, nerui, ora, caput, stomachus.
Pronus quisque cubet, dextra vel parte recumbat,
Mox læui lateris commoda somnus amat.
Somne nihil sine te benc possumus, optime somne
Blanda ægris animis corporibusque quies.

SOmnum & vigiliam inter ea reposuimus quæ corpus nostrum alterant. de his igitur nunc dicendum est, quādoquidem in sanitatis ratione non postremas partes habent. Somnus igitur functionum animalium quies est. Animalem autem facultatem per somnum quiescere ex eo colligas, quod fatigata prius, postquam dormitum est, vires recipit, potissimum post mediocriter sumptum cibum. Facultates autem reliquæ in somno potentius agunt: nam & concoctiones melius perficiuntur, & cordis motus validior est tempore somni. nam calor naturalis intro se tum recipiens, maior & valentior est. Nihil enim aliud est somnus, quàm sensuum detentio suauior quædam, calorisque ad interna reuocatio. At verò quiescere postulat cerebrum, tum propter virtutis quam transmisit absumptionem, tum propter fatigationem, qua propter multos labores est affectum. Inde ab exercitationibus & promptius & profundius dormitur. Sed quemadmodum vigiliæ contingunt propter tum caliditatem, tum siccitatem primæ sentientis partis, nimirum cerebri, ita somnus ex contrariis fit causis, cùm scilicet ex vtilis humidi copia corpus grauatur. Cuius rei indicium est, quod à sumpto cibo profundius dormitur. Quod quanto humidius natura fuerit, tanto magis somnum conciliat. Idem accidit etiam iis qui plusculum vini biberunt, & qui caput liberaliter in calido balneo lauarunt: hæc enim omnia humiditate cerebrum implent. Adhæc medicamenta

Somnus quid.

Animalem facultatem per somnū quiescere quid arguat.

Somni vires.

Cerebrum cur somnum & quietē optet.

Somni causæ.

humida

humida ſomnifera ſunt; quæ ſi vna frigefaciant, torporem inſuper inducunt. At verò quod humidis vaporibus repletum caput ſomnum afferat, ab Ariſtotele monſtratũ abundè eſt in opuſculo de ſomno & vigilia, ex quo petendæ ſunt ſomni cauſæ. Somnus ſemper humectat, vt vigiliæ ſemper exiccant, non tamen perpetuò refrigerat aut calefacit: verum cùm in febre carentibus pituitoſos, crudos, aut frigidos vtcumque ſuccos in corpore offendens confecerit & coxerit, ex his optimum ſanguinem procreans homines inſiti caloris incremento calefacit. Cùm verò ex huiuſmodi humorum putredine eum febricitantes occupauerit, eos refrigerat, febrilem caliditatem extinguens, propriam verò & ingenitam augens. Natiuum autem calorem per ſomnum internas partes petere, & augeri, ex eo apparet, quod dormientes cùm pluribus ſtragulis, tum & capitis egent tegumento, ſi ambiens aer, vt hiberno tempore, frigidior fuerit. At vigilantes interdiu hæc non ita requirunt. Quin etiam maior inſpiratio plus caloris in penetralibus corporis collectum eſſe teſtatur. Perinde & concoctiones in dormientibus efficacius, quàm in vigilantibus fieri, non ſolùm in ventriculo comeſtorum ciborum, verumetiam humorum in iecore & venis corporis abditas ſedes in dormientibus calidiores effici ſignum eſt. Ergo cùm per ſomnum calor omninò intendatur, multa certè commoda corpori ex ſomno accedent. Somnus enim cibum elaborat, humores excoquit (ideóque ſcripſit Hippocrates, Laborem articulis, ſomnum viſceribus conferre) dolorem lenit, laſſitudinem ſolatur, intenta laxat, emollit indurata, cohærentia fundit, & inæqualia ad æqualitatem perducit. Adhæc quaſſationes & animi turbationes ſedat, & eiuſdem ægritudines obliterat, rationem vitiatam corrigit, atque prorſus ſpiritum lenit: defluxiones ſiſtit, humores in corpore abundantes incraſſans. Ac ſomnus quidem æquè ac vigiliæ ipſæ, ſi moderatus ſit, probatur, corporique vniuerſo commodat, pro vniuſcuiuſque habitudine, victuſque ratione adhibitus: ſicuti certum eſt eundem exceſſu aut defectu nocumentum inferre. Hæc cùm præſtet ſomnus, dubitarunt nonnulli an ſomnus aliquando lædere poſſit. nam aut iuuare inquiunt, aut ſi non iuuet, nequaquam tamen vnquam lædere. Verum quantum ij fallantur, quotidiana docet experientia. nam ſomnum multum, eumque præſertim ſtudio quodam

ac-

Somnus humectat.

Natiuus calor per ſomnum intro ſe recipit.

Somni commoda.

Somnus moderatus probatur.

Somni multi incommoda.

accersitum segnitiem corporis & capitis grauitatem, sensuumque omnium hebetudinem causari atque efficere videmus. Scribit quoque Hippocrates, Somnum & vigiliam, vtraque si modum excesserint, malum esse, morbumque facere. De læsione porrò duplici ex somno accedente, lege Galenum comment. ad aphorismum 1. sect. 2. Tempus somni optimum est à cibo. Tales enim somni corpus vniuersum humectum reddunt, huiusque penitissimas quasque partes irrorare creduntur, facultatesque nostras exuscitare, ac sensoria innouata redintegrare, naturalemque vna spiritum, vitalemque & animalem, ac veluti denuo corpus totum reficere. Ante cibum exiccandi vim præstant, corporisque nostri madorem omnem depascuntur, interius se agente calore. Nox porrò ipsa mortales ad somnum inuitat, quòd tranquilla, quòd obscura, quòd frigida sit & humida. Cùm autem minima nox sit nouem horarum æquinoctialium, abundè fuerit totum id tempus somno dare. Somni verò terminus debet esse perfecta ciborum concoctio, quæ tum ructibus, tum ventris contractione deprehenditur. Somnus igitur diurnus planè fugiendus est. Tempus enim quo obdormiscunt, ad absolutam ciborum confectionem non sufficit. Interrupta verò ante horam suam concoctione, à meridie resurgentes, subinde ructus acidos edunt, crebrò etiam flatibus replentur. Nonnulli fluctuatione ventris infestantur, nisi vel ex consuetudine, vel sufficienti somno vsi, eiusmodi mala effugiant. Et ea quidem interruptio, quæ in somno diurno contingit, vna causa est nocumentorum quæ inferre solet. Ea autem sunt, ægritudines humidæ, defluxiones; pituita enim tum generatur, & genita augetur, calor etiam naturalis corrumpitur: prætereà coloris floridi & naturalis defœdatio, neruorum defatigatio consequitur, & appetentiæ deprauatio: apostematum quoque & febrium inde soboles. Caput debilitatur, lien augetur: denique segne omnino & desidiosum corpus efficitur. Decumbendum autem, si Hippocrati credimus, primùm in dextrum latus: ita enim promptius assumptus cibus in ventriculum descendit: liberior etiam est respiratio: mox verò in sinistrum latus reuoluatur qui decumbit. Ea enim maximè ratione ex iecore ventriculo incumbente, ipsius ventriculi calor augebitur, eiusdemque concoctio adiuuabitur. Pronum & in faciem dormire, in quibus-

Marginal notes:

aph. 3. sect. 2. & aph. 68. sect. 7.

Somnus ante cibum quid præstet.

Somni terminus.

Somnus diurnus fugiẽdus

Decubitus forma & ratio.

Pronum & in faciem dormire quibus utile.

quibuſdam ad bonam concoctionem facit. His verò vtilis maximè eſt hæc decubitus forma, quibus ſtomachus debilis eſt: ea enim concoctionem iuuat, nec patitur pituitam concreſcere calorem naturalem augendo, quo noxij humores excoquuntur. Supina autem cubatio omnis inſalubris eſt: multi enim graueſque inde oriuntur morbi, incubus, apoplexia, paralyſis: ſuperfluitates enim in poſteriores partes declinare facit talis decubitus ratio, quæ per deſtinatos à natura meatus nares ſcilicet & palatum non expurgatæ, in corpus retinentur, ex quibus mala, quæ diximus, oriuntur.

Supina cubatio inſalubris.

De vigilia, cap. II.

Surgite, ab Oceano rapidus iam ſurgit Eous,
Auroræ roſeum iam iubar ecce rubet.
Iam vigilate graues ſomno, vinoque ſepulti,
Septena in ſomnos eſt ſatis hora meos.
Longior obtundit cerebrum, torpedine ſenſus
Afficit, exacuet quem vigilata dies.
Sic calor internus reuireſcit, & aptius omni
Sorditie eiecta, membra vigore fouet.
Luce vigent operoſæ artes, it miles in arma
Luce, gemunt feſſi ſub iuga luce boues.
Delia non noctu venatur, nocte quieſcunt
Pulpita, ſed luce eſt docta Minerua vigil.
Luce minax Pallas, vigilatæ quot bona lucis?
Corpora, dij, ſenſus, ingenium arsque vigent.

Vigiliarum cauſæ.

Calor internus per vigilias eſt imbecillior.

VIgilias fieri ob calorem & ſiccitatem primæ ſentientis partis cerebri ſcilicet, ſuperiore capite docuimus: diximuſque per ſomnum, internum natiuumque calorem vegetiorem eſſe. Ita nunc modo prorſus contrario dicendum, per vigilias calorem internum imbecilliorem eſſe: is enim ad exteriora mouetur. Quod his verbis docuit Hippocra-

pocrates, euidenter vigilans calidior exterius, interius autem frigidior: dormiens è contrario. Ob eam causam vehementes vigiliæ crudiores tum potus tum cibos efficiunt, corpus extenuant & exiccant, gracile & aridum magis illud faciunt, sanguis biliosior redditur. In summa, si vigiliæ modum excedant, planè noxiæ sunt. fit enim nimia humorum & spirituum consumptio: vnde sequetur faciei pallor, & omnium membrorum tremor. Ob eam (credo) causam vorax vigilia ab Hippocrate nuncupatur, quòd scilicet totum corpus digerat atque dissoluat. Id verò accidit insito calore, dum exterius emicat, secum haud exiguas corporeæ substantiæ particulas educente. At si mediocres fuerint vigiliæ, hæc commoda præstant: plenitudinem per halitum digerunt, qua ratione appetentiam prouocant, quæ in ventre sunt minuunt, & vt per partes infernas secedant, præparant: languorem dissoluunt, grauitatem dispensant, resoluta corrigunt, & robur naturæ atque animo afferunt, sudoresque cohibent. Hæc de somno & vigilia obiter dicta sint. Somni enim & vigiliarum totam rationem, larius exposuimus in commentario nostro ad Aristotelis ea de re cōscriptum librum, quē breui (Deo fauente) in lucem emittemus.

Vehemētium vigiliarum incommoda.

Vigilia vorax

Vigiliarum commoda.

LIBRI SEXTI, SECTIO QVARTA, DE ANIMI PERTVRBATIONIBVS,

CAP. I.

Si decet & sancti rationem admittitis æqui,
Sancta manent animos gaudia læta suos.
Iam satur est venter, tumet hic, iacet ille supinus,
Iam properent risus, ira timorque abeant.
Nodosæ rerum causæ & sublimia cedant
Naturæ ingenia, hæc non capit iste locus.
Sensibus addicta est nūc mens, sub sensibus extāt
Deliciæ, gaudent corda, iocosque parant.
Gaudia sectentur risus, dulcesque cachinni,
Lusus, firma fides, spesque iocusque salax.
Lætitia & risus reparant me, gaudia seruant

Inco-

Incolumem, exanimant ira, metusque graues.
Ridendum est hilares conuiuæ, amentia magna est
Si ſnimus celeres accelerare rogos.

nimi pertur ationum in ſanitatis ra- ione vires.

MAgna eſt in ſanitatis regimine animi perturbationum ratio, quandoquidem ab his corpus affici ſolet, inque magnum diſcrimen non raro ipſum coniicit: nam è cauſis habentur neceſſariò corpus alterantibus. Quæ autem Græci παθήματα nuncupant, ea Cicero animi perturbationes, alij affectus, alij paſſiones, alij affectiones animi appellant: alij autem etiam accidentia. Accidentium autem animi appellatione, veteres quinque hæc intellexerunt, λυπὴν, ὀργὴν, θυμὸν, ἐπιθυμίαν, φόβον, vt ſcribit Galenus libro de cognoſcendis animi perturbationibus: λυπὴ autem mœror ſeu mœſtitia, eſt vehemens triſtitia. Varro mœrorem à marcendo dictum putat, quòd mœrore corpus marceſcat. Eadem autem propemodum eſt triſtitia ſeu mœror cum timore, diſſidentque paſſiones eæ non toto genere, ſed magnitudine ſola & vehementia. Quod enim in timore ſemel & confertim, id in triſtitia paulatim patiuntur. Triſtitia ſeu mœror corpus gracilius reddit & exiccat. Interdum etiam ex ea febres accenduntur, bilioſis ſuperfluitatibus in ventriculum defluentibus. Triſtitiam autem exſiccare certum eſt: ſolemus enim dicere, Spiritum triſtem oſſa exſiccare. id verò etiam docet Galenus in hiſtoria ſerui cuiuſdam diuitis Atrienſis: is enim cùm mœſtitia afficeretur, ex eo quia rationem pecuniarum quas adminiſtrauerat, redditurus eſſet, ſummæque non parum deeſſe ſciret, præ mœrore vigilabat, animumque deſpondens tabeſcebat. Nonnulli verò vt ex timore, ita etiam ex vehementi triſtitia, ſtatim extincti ſunt, cùm ſcilicet eorum animus imbecillis ſemel & confertim extinctus & ſuffocatus eſt. quippe ab ea & color abit, & homines mox perfrigerantur, tremuntque, pulſus fit paruus, demum moriuntur. Scribit Plinius Rutilium illico expiraſſe, præ mœſtitia quã conceperat intellecta repulſa fratris ſui in petitione conſulatus. idem tradit, Lepidum poſt datum vxori repudij libellum, præ mœrore mortem obiiſſe. infinita verò propemodum ſunt eiuſcemodi exempla. Ira autem eſt veluti feruor quidam ac vehemens motus potentiæ iraſcibilis in ipſo

Mœror ſeu triſtitia.

b. de præcon. ad Poſthumum.

Qui ex triſtitia perierint.

Ira.

ipſo cordis corpore ſita: ſimul autem cum hoc feruore caleſit ſpiritus aliquando, aliquando verò & ſanguinis ſubſtantia. ὀργὴ porrò & θυμὸς eadem propemodum eſt affectio: ſed perturbatio illa in qua ſanguis circa cor ebullire incipit, θυμὸς dicitur. κότος verò eſt iam adulta magis. Quæ autem iam cupit erumpere in vindictam, ὀργὴ appellatur. Vt verò tumor intro & ad principium tum ſpiritum tum ſanguinem vnà cum refrigeratione eorum quæ in ſummo corpore ſunt abducit, ac contrahit: ſic è contrario ira foras agit, fundit & calfacit. Et certè iraſcentis impetus, parum ab inſania differt. Scribit enim Horatius, iram eſſe breuem furorem. Itaque quandiu quis iratus eſt, nihil agere, aut imperaré debet, ſed differre vſque dum ira deſierit, tum enim prudentius & temperatius omnia peraguntur. Excandeſcentia, inquit Hippocrates, attrahit & cor & pulmonem in ſeipſa, & in caput & calidum & humidum. Quem locum exponens Galenus, ſic ſcribit: Duorum alterum in excandeſcentiis dicendum eſt, aut pulmonem & cor ad caput attrahi, aut cor & pulmonem ex inferioribus locis calorem humoremque ad ſeipſos attrahere. Veriſimile namque ex iecoris regionibus, vbi ſanguinis diſtributio fit, & caliditatem & humorem hauriri. Porrò in excandeſcentia cor, atque per totum animal diſcurrentes arteriæ, maiorem & vehementiorem pulſatum efficere cernuntur. Aequum eſt autem & cordis dilatationem implentia tunc plura adduci: in caput verò plus humoris caloriſque efferri, oculos totamque faciem occupans rubor ſignificat: quin etiam ſi tetigeris, calidiores euaſiſſe tibi hæ partes apparebunt. Euidenter quoque etiam oculi emicant, vnaque prominentiores euaſiſſe videntur, & vniuerſum caput calidius. hæc Galeni verba mira equidem breuitate iræ ſymptomata complectuntur. Ceterùm Galenus ibidem ait, interdum vitandam eſſe iram: alias verò de induſtria excitari debere. Vitandam quidem cùm totius corporis temperatura fuerit calidior quàm par ſit, ſiue ex naturali conſtitutione, ſiue ex morbo: ab huiuſmodi enim ira natura valdè offenderetur: nam acutas febres ſtatim accenderet. Natura verò contraria frigida, ſcilicet non parum ab excitata ira iuuabitur. Porrò neminem ira interiiſſe aſſerit Galenus libro ſecundo de ſympt. cauſis: vtpote nec calore perfrigerato, nec eius ro-

comm. 5. in 6. epid. ſent. 9.

Quas naturas ira lædat, & quaſiuuet.

Nemo ab ira interiit.

robore soluto: iracundiæ exempla lege apud eundem Galenum in libello De cognoscendis & curandis animi morbis. at ex gaudio ingenti nonnulli pusillanimes perierunt, æquè atque ex timore. Non enim vna cum robore & feruore mouetur extrorsum animalis facultas, sed contrà si quid priùs habuit roboris, id nunc remittit ac resoluit. Ergo cùm plurimum relaxata resolutaque retrorsum fertur, digeritur. Polycritam refert Plutarchus ab exercitu in vrbem cum fratribus reuertentem, cùm ei ciues vniuersi obuiam prodeuntes gratularentur, eiusque virtutem ac prudentiam admirantes, summis laudibus efferrent: tantæ lætitiæ magnitudinem sustinere cùm non posset, in omnium conspectu ad ciuitatis portam repentè expirasse. vbi etiam sepulchrum illi publico sumptu constitutum est, quod fascinationis sepulchrum nuncupatur: quòd tanquam inuidi cuiuspiam fascinatione, concessis honoribus Polycrita prohibita fuerit. Scribit Plinius Chilonem Lacedæmonium, cùm vidisset filium in olympia victorem, præ gaudio è vita decessisse: plura alia exempla commemorat idem Plinius: sed & Valerius Maximus. Pudore etiam nonnullos extinctos iidem auctores scriptis tradiderunt. Cęterùm qui gaudent, & qui pudore afficiuntur, rubescunt: at metuentes pallor inuadit. Verecundis enim, iisque qui gandio afficiuntur, insitus calor augetur, dum primum intro se recipit vniuersus: deinde postquam in alto corporis est collectus, & ex ipso inibi congestu, & ex assiduo motu incrementum capit. Non enim quiescit ita affectorum spiritus; sed tum ab interno, tum circa se, vnà cum toto sanguine variè circumagitur, ita planè vt spiritus eorum qui perturbantur. Vberius autem & perquam doctè quæstio hæc discutitur apud Macrobium capite vndecimo, libro septimo Saturnaliorum. Ceterùm illius facultatis, cuius munus est temerè concupiscere, tanta vis est, vt si quid placeat; plerunque in eius amorem euadat insanabilem: non corporum modò quæ formosa sunt, siue rerum quæ ad Venerem pertineant, sed etiam edacitatis explendique ventris, ac vinolentiæ, itemque obscœnitatum quæ præter naturam patrantur. Ex his igitur constat, non leuiter corpus ab animi affectibus perturbari & affici. In vniuersum autem id memoria tenendum est, quibus vitale robur infir-

Quidam ex gaudio interierunt.

Polycrita. lib. de claris mulieribus.

Chilo.

Pudore nonnulli extincti.

Cur qui gaudent & pudore afficiuntur rubescant, pallescant verò qui metuunt.

Facultatis cō cupiscibilis vis.

infirmum est, animi verò affectiones ob imperitiam fortes, iis animæ essentiam facilè dissolui. At vir magnanimus neque ob mœstitiam, neque ob aliam aliquam animi ægritudinem mœstitia fortiorem vnquam succubuit, vtpote cuius animæ robur validum est; affectus verò non adeò vehementes. Qua verò ratione sint curandæ perturbationes animi, & vt se habeant ad corporis morbos, vberrimè docet Galenus libro sexto de decretis Hippocratis & Platonis. Multis equidem morbis corporis est homo obnoxius: animi tamen morbi non pauciores sunt quàm corporis, & quibus longè magis vexamur, & maiori discrimine periclitamur. Ergo si medicina corporum in optima republica sit necessaria, ob varia ægrotationum genera, quæ quotidie mortalibus accidunt, vt integris validisque corporibus bene degere possimus: quanto magis necessaria erit animi medicina, sine qua nec corpora ipsa bene valere possunt. Est autem animi medicina Philosophia (vt optimè Tullius) cuius auxilium non vt in corporis morbis petendum est foris, omnibusque opibus viribusque, vt nosmetipsi nobis mederi possimus, elaborandum est. Radicem enim malorum omnium stirpitus extracturam se Philosophia pollicetur: demus ergo huic nos excolendos, patiamurque nos sanari ab ea, si boni & beati volumus esse, omnia adiumenta & auxilia petamus bene beateque viuendi.

Vir magnanimus animi perturbationibus non succumbit.

Animi morbi

Philosophia animi medicina. 3. tuscul.

LIBRI SEXTI, SECTIO QVINTA, QVAE CVIQVE AETATI, TEMPORI ACCOMMODATA SIT VICTVS RATIO.

Victus ratio singularum ætatum, CAP. I.

INfantium ætas humidissima est, ideoque humidiorem etiam victus rationem postulat: singula enim similibus conseruantur. Infantes autem ab Hippocrate pueri dicuntur: totamque illam ætatem à principio ortus ad pubertatem vsque, vel etiam suprà, pueritiam appellat. Infans autem solo lacte alendus est, donec primores dentes emiserit.

Infantium victus ratio.

Posteaquàm autem lacte nutriri infantes desierint, liberiore eis modo, & suo ingenio hilariter viuere permittemus. Exercitia autem & alimenta leuiora præscribentur. Infantes (inquit auctor libri de salubri diæta) diu sunt calida lauandi, iisque vinum dilutum exhibendum, quod prorsus tamen frigidum non sit, idque offerendum, quod minimè ventrem attollit, & flatum creat. Atque hæc facienda sunt, quo minus tentent conuulsiones, ipsique crescant, & melioris coloris fiant. Ab anno sexto & septimo adhibeatur infanti educatio optima, quæ probis consuetudinibus, & grauibus disciplinis paratur. A secundo septennio ad expletum tertium, licebit ad robustissimum corporis habitum hominem prouehere, ac instruere iis animi dotibus, quæ ad scientiam sapientiamque pertinent. Ab anno sexto & septimo, ait Aegineta, tum pueri tum puellæ literatoribus blandis humanisque tradentur: tales enim cum animi remissione & gratia docent. Animi autem remissio ad probam corporis educationem plurimum affert momenti. Duodecimum annum egressi, ad grammaticos iam & geometras mittendi sunt, corpusque eorum exercere oportet. A quartodecimo vsque ad primum & vigesimum, mathematicis disciplinis & sapientiæ studio incumbent: exercitiis pluribus propter corporis robur credentur, vt & animo & corpore laborantes, à libidinis impetu coërceantur. His etiam vinum circuncidendum est. Adultis verò & ætate iam florentibus, educatio absoluta tum animi tum corporis congruit: eoque exercitiis omnibus, præsertim quibus quisque assueuit, vtendum, cibo pleniore & valenti. Cùm autem ætas hæc sicca sit, & corpora etiamnum sint concreta, vtilis profectò huic erit victus mollior & humidior. Nam adolescentes verè optimè se habere eam ob causam crediderim. Declinantibus autem moderata competit, & animi & corporis educatio. Exercitia enim qualiacunque fuerint, pro horum ratione imminuere oportet: alimento detrahendum, vt quorum habitus iam frigescere incipiat. Senes verò plerunque siccior victus decet, quòd in ea ætate corpora humida sint, mollia & frigida.

Adultis quæ victus ratio conueniat.

Declinantibus quæ ratio victus idonea.

Senes qua victus ratione vti debeant.

QVAE

Quæ victus ratio quolibet anni tempore sit vtilis, CAP. II.

NOn solùm pro varietate ætatum variãda est victus ratio, sed etiam alia anni tempora, aliam atque aliã victus rationem postulant. Autumno enim melancholicis cibis ac siccantibus abstinere oportet: hieme verò iis vti licet. Quemadmodum æstate humectantes & refrigerantes, vere autem, quòd medij sit temperamenti, mediæ facultatis cibos eligere oportet. Ac hieme quidem pluribus vti laboribus, plus esse conuenit, inquit Aegineta capite quinquagesimotertio, libro primo, præsertim diebus aquiloniis. nam austrinis laborare quidem similiter, sed minus cibi & potus assumere oportet. Summatim humido tempore corpus omnino siccum reddere, quemadmodum in frigido calidius: carnes calidas comedere, & olera, largius bibere oportet. In quo certè grauiter errasse Paulus, melius verò libri de salubri diæta auctor sensisse videtur, sic scribens: Hieme præ ceteris plurimum comedendum, bibendum autem quam parcissimè: & potus esse vinum debet quam meracissimum: cibus, panis, obsonia, assa omnia. Oleribus hac tempestate præter ceteras paucissimis vtendum: nam hac potissimum ratione corpus calidum & siccum. Quomodo enim sibi constabit Aegineta, corpus omnino siccum & calidum reddendum in constitutione temporis frigida & humida, scribens, deinde eo ipso tempore olera, & largiorem potum, quæ corpus humectant & refrigerant, concedens. Quod si aliquibus leguminibus aut oleribus vti animus sit, eligantur quæ calefaciunt & exiccant. Sic ex carnibus, quæ simili facultate præditæ sunt, eligi debent. Vere autem incunte amplius potandum. Sunt præterea sumendi molliores cibi, pauciores que, atque panis subtrahendus, mazaque exhibenda tum obsonia eadem ratione. Iam etiam assa elixis commutanda, ac oleribus tum etiam paucis vtendum, dum æstatem homo attigerit. Vere autem incunte, humores per hiemem aceruatos alius vomitu, alius deiectione purget & euacuet, alius sanguinis missione, prout cuiusque consuetudo & voluntas fuerit: idque ex consilio docti alicuius medici. Aestate cibis omnibus vtendum mollioribus, obsoniis elixis, oleribus iuxta & crudis & elixis, poculis multò dilutissimis & plurimis, & vt ne magna mutatio sit subito vtenti. Per

Qui cibi quibus anni temporibus magis conueni[ant]

Hieme quæ seruanda victus ratio.

Veri quæ accommodata ratio victus. lib. de salub. diæta.

Aestate quer[a]tio victus cõ[n]ueniat.

æstatem quoque à laboribus conquiescendum, ciboque demendum est, qui rectè frigidioris erit naturæ, ac omnia fieri debent, quæ ad refrigerationem humectationemque conferunt. Siquidem tempestas illa calida est & sicca, corporaque reddit adusta & squallida. At in autumno, quoniam prorsus inæqualis inordinatusque est, & omnigenos morbos inuehit, magna victus habenda solicitudo est. Cibi maiori copia, & Sicciores exhibendi, & obsonia eadem ratione, pocula minuenda sunt, eadem verò meraciora sint. Frigus vitare, concubitu & frigidæ potu abstinere expedit. Item frigidus auroræ aër, meridianusque ardor rectè cauebitur. Fugaces fructus affatim assumere noxium est, vt qui non copia tantùm obsint, verumetiam vitiosos humores procreent & inflationes. Vbi aer frigidior euadit, corpus pro frigoris ratione calefacere, omniaque peragere oportet, tanquam hieme aduentante. Nihil autem mali fuerit post æquinoctium vacuationem ex commemoratorum aliquo tentare, ne aliquid superfluum in corpore retentum hieme facessat negotium.

Diæta seu ratio victus autumno magis accommoda quæ.

FINIS.


INDEX, ET ANNOTATIO

SECTIONVM ET CAPITVM.

Secunda

de

FINIS.




SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ *Maiestatis priuilegio cautum est, ne quis ante quinquennium citra Christophori Plantini Typographi iurati Antuerpiensis voluntatem, hunc librum, cui titulus est*, Hugonis Frideuallis Sampaulini, de sanitate tuenda, &c. *imprimat, aut alibi impressum importet venalémue habeat, intra omnes eius ditionis fines. Qui secùs faxit, confiscationis librorum, & pœna fisco regio exsoluenda mulctabitur, vt latiùs patet in ipso diplomate, dato Bruxellæ, Anno Domini* 1567. 18. *Febr. stylo Brabantiæ.*

Signat.

I. de Witte.



In hoc opere nihil est quod pias aures offendere poßit, neque quod Christianæ religioni aduersetur.

Ita attestor Hector Boitel, immeritus parochus ecclesiæ parochialis D. Petri Ariensis.

Boitel.

Nihil habet S. Romanæ ecclesiæ fidei contrarium, aut Reipublicæ offensiuum, quod attestor

Sebastianus Baer, Delphius, insignis Colleg. ecclesiæ S. Mariæ Antuerpiensis plebanus.



EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS ANTVERPIÆ, MENSE IVLIO, M. D. LXVIII.







